
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

~~IX D. 100~~

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

KW 232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

265 D18

LIBRI TRES DE INDVCIIS BELLI BELGICI

AVTHORE

DOMINICO BAVDIO

I. C. primario Hiſtoriarum Profeſſore in Academia Leidenſi.



LVGDVNI BATAVORVM,

Apud LVDOVICVM ELZEVIRIVM

ANNO cIↄ. Iↄ c XIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Illuſtriſsimis ac Potentiſsimis

ORDINIBVS VNITARVM BELGII PROVINCIARVM

DOMINICVS BAVDIVS dicat ſacratque.

SI homines corporeis oculis intueri poſſent ipſam effigiem ac pulchritudinem virtutis atque honeſtatis, mirificos illa ſui amores apud generoſas mentes excitaret: ſicuti ex adverſo vitiorum deformitas ac turpitudo iuſtum odium & faſtidium animis ingeneraret. Nunc autem ea eſt humani ingenij cæcitas, corruptela, perverſitas, ut maximæ parti mortalium opus ſit quibuſdam illecebris ac lenocinijs, quibus invitentur ad amplexandam virtutem, & quodam quaſi ſufflamine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

quo a capeſſendis vitijs compeſcantur ac retardentur. Hoc ſine natura inſevit magnanimis pectoribus ingenuam gloriæ cupiditatem, & metum ex infamia, reverentiamque poſteritatis. Gloria ſtimulus eſt & calcar, quo ſublimes animæ concitantur ad ſtudium rerum honeſtarum. formido infamiæ frœnum eſt, quo revocantur a prave factis. Hinc Cato maior, qui primus claritatem intulit in familiam cæteroqui plebeiam atque obſcuram, dixiſſe fertur eos virtutem adoleſcentibus adimere, qui a virtute gloriam & honorem ſegregarent. Adoleſcentes enim ob lubricum ætatis, & iudicij imbecillitatem, ſimul etiam quod ab affectibus tranſverſi abripiuntur, haud facile gratis arduam virtutis viam inſiſtunt, niſi laudis quaſi palpo titillentur ac permulceantur. Hinc Solon, unus e ſeptem Græciæ ſapientibus, & ſolus inter eos qui legibus fundavit civitatem Athenienſium, aiebat duobus vinculis contineri remp. præmio & pœna. Præmiorum delinimento allicimur ad præclaras actiones, pœnarum metu deterremur a peccando. Paucis enim conceſſum eſt raro munere cœleſtis indulgentiæ, ut ſolo rectæ conſcientiæ pretio

ducti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ducti virtutem ament propter ipſam, vitia oderint eo ipſo quod vitia ſint, & quod cum ſana ratione pugnēt. Sed nihil efficacius penetrat in animos, & permanat ad intimos ſenſus, quam exempla quæ nobis ex annalium monumentis ſuppeditantur. Illic enim tanquam in illuſtri theatro, licet contemplari vitas hominum, & haurire quod ex uſu ſit, ad mores bene ſapienterq; inſtituendos. Flexibiles enim, & ſequaces ſunt mentes bonorum quamcunque in partem clementi & amabili via ducuntur. Vnde graviter a præſtantiſſimo authore literis Platone. *proditum eſt, quales in republ. moderatores ſunt, tales reliquos ſolere eſſe cives. Obſequium enim erga principes, & æmulandi ardor plus poteſt polletque, quam formido ex legibus. Quocirca ſive primores populorum ad laudem ac decus adſpirant, optime de publico ſtatu merentur, quod permulti eorum imitatores exſiſtunt: ſive ſe flagitijs contaminant, hoc ipſo pernicioſius ac maiore periculo peccant, quod plures in contagionis aſſenſum rapiuntur. Idcirco vere a facundiſſimo ſcriptore* Plinio in panegyrico ad Traianum *dictum eſt, vitam principis eſſe cenſuram eamque perpetuam, nobilibuſque ingenijs non tam im-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

perio opus eſt quam exemplo. Sed ut ex quovis ligno non fit Mercurius, ita non omnibus quorumlibet hominum exemplis adeſt ea dignitas atque authoritas, ut eorum dicta factaque proponi poſſint ad imitandum. Hanc prærogativam obtinent Magiſtratus, qui ſedent ad clavum imperij, quorum ſive laudes ſive culpæ non poſſunt a reip. commodo periculove ſeparari. Illud porro ſpecimen eſt florentis ſtatus quum præſtantia virorum ingenia, de quibus eſt fama conſentiens, præmijs atque honoribus eliciuntur ad memoriam rerum geſtarum ſæculo conſecrandam, ne virtutibus debita gloriæ merces invideatur, aut flagitijs ſecuſve admiſſis ignominiæ labes abſit, & metus ex poſteritate. Quocirca facere non poſſum, Illuſtriſſimi Patriæ Patres, & magnanimi Mecænates, quin vobis immortales gratias agam, quod curæ & induſtriæ noſtræ munus iſtud exornandum adſignare ſitis dignati. Perficiam omni ſtudio ac diligentia, ne homini ignavo atque inglorio delatus is honos eſſe videatur, nec præclara veſtra de me iudicia dedecorabo, ſi qua fortibus honeſta ſui fiducia eſt, & bona noſtra gratis mentibus interpretari debemus,

mus,

mus, ut ea publicis utilitatibus devoveamus. Neque enim, ut ſcribit princeps ingenij ac doctrinæ Plato, nobis ſolis nati ſumus, ſed patriæ, quæ communis eſt omnium parens, cui nos natura primum conciliat: ſed parentibus, quorum beneficijs maxime obligati ſumus, & quos proxime Deum immortalem omni cultu atque obſervantia complecti debemus: ſed propinquis & amicis, quos aut morum ac voluntatum ſocietas, aut quotidiana vitæ conſuetudo, aut commune ſtudiorum vinculum, aut ſanguinis & neceßitudinis iura nobis coniunxerunt. His ut noſtri uſum impertiamur, horum ut inſerviamus commodis, non ſolum officij ratio præſcribit, ſed & ipſa lex humanitatis, ne vitæ ſtationem deſeruiſſe, & munus adſignatum a Deo ſubterfugiſſe depræhendamur. Ac mihi quidem ſedulo meditanti, & apud animum reputanti qua potißimum exercitatione poſſem de patria deque ſæculo præclare mereri, ut bonum civem & virum fortem decet, non alia ſeges & materies lætior ad ſempiternum decus adſequendum viſa eſt, quam ſi Hiſtoriam rerum ſub auſpicijs veſtris geſtarum conſcribendam ſumerem, uti vos velle video,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

deo, & uti me generoſa mentis indoles adhortatur. Offero nunc igitur Illuſtriſsimo veſtro conſeſſui hoc breve ſpecimen operæ, ſed monumentum rei maxime illuſtris, ac per totum terrarum orbem memorabilis, qua haud ſcio an quidquam fama celebratius, & æternitate dignius ſub ſole geſtum ſit abhinc permultis annis. Complexus enim ſum tribus libris totam illam negotiationem Belgicarum induciarum, ad quem actum præſentia ſua cohoneſtandum, ſapientia conſilioque dirigendum, authoritate corroborandum advenere Legati ſummorum Regum ac Procerum, tanquam ad comitia maximarum rerum, & ad evolvendum opus immenſæ molis, eximiæque utilitatis. Quid enim magis admirandum, ac minus credibile fieri potuit, quàm quod poſt tam diuturnam armorum continuationem, poſt tam atroces iras, poſt tam pertinax & inexpiabile odium Rex lõge lateq; dominus, cuius imperium penè iiſdem regionum ſpatijs, quibus ſolis curſus, terminatur, eo apicem maieſtatis ſuæ demiſit, ut prior tentaret vias paciſcendi fœderis cum populo, quem olim iuri ſuo ſubiectum, & ad omnia legitima obſequia paratiſsimum

tiſsimum habuiſſet? Cœlo & divino favori, non humanis viribus aut opibus imputanda eſt eiuſcemodi commutatio fortunæ, & tam incredibilis, nec opinata rerum fœlicitas. Deus, in cuius manu ſunt corda Regum, eam mentem inſpiravit auguſtis principibus, ut ſepoſitis rationibus quæ eos a tali propoſito demovere poterant, ſerio tandem cogitarent de fine imponendo tot ærumnis & calamitatibus, quæ civili bello comitari ſolent. Viderunt enim viris fortibus, & extrema paſsis nihil impervium eſſe, nihil inacceſſum. Nam ſi antea dubitabatur, noſtris temporibus ingenti documento compertum eſt, nulli populo ad libertatem ac decus nato tam degenerem animum eſſe ut velit, tam afflictas vires ut cogatur, diutius quam neceſſe ſit permanere in ea vivendi conditione ac fortuna, cuius eum pœniteat. Acerrimi ſunt morſus morientium ferarum, efficaciſsima vis eſt quam ultima neceſsitas extundit. Sæpe ad ſumma quæque adipiſcenda ſpem oſtendit, & facilem viam patefacit rerum omnium deſperatio.

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Caput & origo malorum fluxit ab intolerabili ſævitia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

vitia eorum qui ſub prætextu Regiæ authoritatis inclementius ſe geſſerunt quam generoſa Belgarum ingenia mollioribus aſſueta imperijs æquo animo concoquere potuerunt. Hinc illæ lachrymæ, hæc illa fuit intima cauſa ſumendi armorum. Acceßit ad exuendam obſequij reverentiam violatio privilegiorum, neglecta ſacramenti fides, contempti mores & inſtituta maiorum, fas omne ruptum morte Legatorum, quos patria infandis malis oppreſſa pacem oratum miſerat, flos nobilitatis ſubiectus gladio carnificum, provinciæ rapinis & iniuſtis exactionibus afflictæ atque exinanitæ, civitates in deditionem acceptæ nefarijs cædibus penè ad internecionem deletæ ac deſolatæ. Sed nullum acrius audendi telum exſtitit quam ſacer obtētus religionis. Quo tam illuſtri exemplo magis ac magis admoneri decet eos qui in excelſo dignitatis faſtigio vitam agunt, ne conſcientijs vim adferant, quarū ius & arbitrium ſola divina Maieſtas ſibi peculiari privilegio reſervavit. Homo in corpuſculum ſævire poteſt, & Anaxarchi follem tundere, non autem ipſum Anaxarchum. Deus unus eſt ſcrutator renum, & inſpector arcanarum cogitationum.

Homo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Nemo tyrannus ullis cruciatibus exprimet ut quis credat quod non libet credere. Fidei & pietatis auguſta ſedes eſt in intimo receſſu mentis, in ipſis penetralibus animorum. Vis & minæ non efficiunt Chriſtianos ſed hypocritas, purpuræ cultores non veri Numinis. Nihil eſt tam voluntarium, tam ſuæ ſpontis, tam impatiens dominationis, quam religio, quæ ſi cogitur non amplius eſt religio, ſed fucus & inane ſimulachrum. Latebræ pectoris, & involucra diſsimulationum ſoli Deo patent, qui reddet unicuique ſecundum opera eius. Igitur principes ac terrarum domini ſic imperium temperare & moderari debent, ne ſupra quam homini conceſſum eſt, civibus ſuæ curæ permiſsis imperare præſumant, utque ſe a ſuis amari, coli & obſervari malint, quam timeri. Metus enim eſt peſsimus diuturni magiſter officij, nec perpetuitas & æquabilis tenor conſtare poteſt obſequio, quod a terrore proficiſcitur, cui ſemper odium comes adhæret, erupturum tandem in nervos ubi graviora ſunt quæ patiuntur homines, quam quæ ultra formidare queant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Regibus & Proceribus tutela rerum & admini-ſtratio concredita eſt, non civium ſervitus. ideoque paſtores populorum appellantur a principe non poëtarum modo, ſed omnium philoſophorum Homero. Quod ſi ulla gens unquam fuit quæ ſervitium pati, & malo cogi doluerit, libera Belgarum pectora liberali modo tractari ſemper amaverunt. Nec iniuria. Non enim bello domiti venerunt in ditionem ac poteſtatem Burgundiacæ vel Auſtriacæ domus, ut leges arbitrio victoris accipere debuerint: nec ulla tanta eſt ullius monarchæ terreni dignitas atque authoritas, quin rectæ rationi, & iuſtis legibus faſces ſuos ſubmittere, Deoque humiliter ſervire debeat. Præclare ſapienterque pronuntiat Romanæ fidicen Lyræ,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iovis.

Tanto magis excellit atque eminet princeps, quo ſe ſubmiſsius gerit, nec minus ſe hominem eſſe meminit, quam hominibus præeſſe. Digna vox eſt maieſtate regnantis humilem ſe CHRISTI *ſervum dicto factoque profiteri. Nulla firmior & ſecurior eſt tutela, nullum munitius propugnaculum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ad decus imperij defendendum , quam principis virtus atque innocentia, quæ plerumque ſtipata eſt amore ac benevolentia civium. Optimum & certiſsimum præſidium præſidio non indigere.

Integer vitæ ſceleriſque purus
Non eget Mauri iaculis nec arcu.

Fruſtra ſuccinctus ibit princeps ingenti ſatellitio, ſi charitate ſuorum ſeptus non fuerit. Reverentia non terror eſt apex veræ maieſtatis. Nulli magnatum tantæ ſuppetunt opes ut evitare queant ultricem divinæ Iuſtitiæ manum. Fata ſemper viam inveniunt. Etiam contemptiſsimorum bipedum inſidijs patent maximi regnatores. Ius vitæ ac necis poſsidet in quemvis qui mortem contempſit. Quod utinam diriſsimis temporum noſtrorum documentis non eſſet ſæpiſsime comprobatum. Sed quum iſta nefaria perditorum ac profligatorum hominum facinora vix ullis conſilijs & cautionibus averti poſsint, optimum factu fuerit ut Princeps ſui curam cuſtodiamque fatis ac cœleſti providentiæ permittat, ne morte infeſtiorem vitam trahat ſi perpetua mortis formidine continenter inquietetur. Sed ſi vis maior abſit, nullum conſi-

lium ſalubrius dari poteſt principibus ad tuendam ſalutem & incolumitatem ſuam, quam ut metus abſit, charitas retineatur, utque haud falſo verſum hunc uſu ſuum facere poßint

Malo vereri, quam timeri me a meis.

Metus enim, ut antè dixi, eſt infirmum pignus ac vinculum ſtabilitatis: amor autem & benevolentia fidelis eſt vel ad perpetuitatem. Hæ voces pueris inculcantur in ſcholis, ſed viri fructum percipiunt ex diligenti meditatione tam utilium ſententiarum, & ſceptrigeri Reges gravi ſuo malo comprobant earum invictam veritatem. Rex ille Salomon non Apollinis mendacio, ſed divinæ vocis oraculo Sapientißimus omnium mortalium pronuntiatus, effatur hanc immotæ certitudinis ſententiam, Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos. *Non enim populus Regis cauſa conſtitutus eſt, ſed Rex in gratiam populi, ut omnia ſua conſilia, dicta, facta dirigat ad ſalutarem metam publici boni oblitus commodorum ſuorum, utq; ſalutem propriam ſalute communi poſteriorẽ ducat. Talia dum contemnuntur, aut ignorantur a violentis*

lentis conſultoribus, qui benignas mentes principum ab inclinatione naturæ ad aſperiora impellũt, huc tandem ventum eſt ut maximus ille dominator Philippus, tot populis ac regnis late imperans, ut vix eorũ titulis recenſendis memoria ipſius ſufficiat, flore ſui patrimonij devolveretur ſine ſpe recuperandi, utque iam cum ſuis olim ſubditis æquo iure paciſci non adſpernetur. Viſum eſt igitur hoc argumentum digniſsimum quod literis, & annalium monumentis illuſtraretur ad memoriam poſteritatis ſempiternam. Quoniam autem hæc negotiatio, ut ſolent omnia magni moliminis exorſa, multiplices habuit actus, totumq; fere triennium ſuſpenſas tenuit hominum mentes ancipiti ſpe & exſpectatione quorſum tandem evaſura res eſſet: partem hanc hiſtoriæ haud indignam exiſtimavimus quæ a cætero rerum geſtarum contextu ſeparatim tractaretur, ad exemplum principis Hiſtoricorum Salluſtij, qui coniurationẽ Catilinariam, & Iugurthinum bellum a perpetuis, & continentibus ſuis ſcriptis ſeparavit. Idẽ antea teſte Tullio plures Græci factitarũt. Nam Calliſthenes Troicũ bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum a

reliquo

reliquo corpore ſuorum operum ſeorſim expoſuerunt. Tribus igitur libris, ut ante commemoravi, totam hiſtoriam Belgicarum induciarum complexus ſum. Priore libro compræhenſum eſt quidquid geſtum fuit quaſi in anteceſſum, priuſquam Legati Regis Hiſpaniarum & Archiducum Hagam advenirent. Secundus ea continet quæ interea contigerunt dum iſthic commorati ſunt Tertius colophonem & ſupremam operi manum imponit, complectiturque ſummam eorum quæ concluſa ſunt poſt diſceſſum eorumdem Legatorum donec de duodecennalibus inducijs tandem utrimque conventum eſt. Sequutus ſum hac in re nutum veſtræ voluntatis, quæ mihi inſtar legis eſt, a qua ſcribendi auſpicium ſumam. Cuius voti & animi mei pignus atque obſidem cupio eſſe hanc epiſtolam, ut mihi deſerti muneris atque ordinis flagitium exprobretur, ni promiſſi fidem rebus ac factis cumulate adimplevero. Tantum illud, quod æquiſſimum eſt, a vobis paciſcor ut mihi ex parte veſtra ſeges ſcribendi ſuppeditetur, hoc eſt fida rerum geſtarum acta & monumenta, ne per improvidam credulitatem, quæ optimo cuique facile imponit,

peccem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

peccem in ſacroſanctam veritatem, quæ lumen & anima hiſtoriæ cenſeri debet. Ego manupretium dabo, & cætera quæ ab Hiſtorici munere atque officio requiruntur, abunde, ut ſpero, præſtabo. Quidquid enim ſtudio, induſtria & arte poſſum, id omne ſub auſpicio veſtræ gratiæ & authoritatis militabit, ſi modo favor veſter laboribus & conatibus noſtris liberalem auram inſpirare dignetur, ut animo a minutis & ſordentibus curis vacuo tam ſeriјs atque præclaris occupationibus incumbere poſſim. Dedi operam, quoad eius fieri potuit, ut oratio noſtra ad antiquitatis indolem conformaretur. Neq; tamen ſerviliter ac ſuperſtitioſe ſtylum adſtrinxi Tullianæ imitationi, ut exiſtimarem nefas eſſe verba genio ſæculi, & rerum uſibus accommodare. Vtendum enim eſt ſermone tanquam nummo, cui publica forma pretium ſuum adſignat. Viderint magiſtelli qui nihil Latine ſcribi putant niſi quod hauſtum ſit ex fontibus dictionis Ciceronianæ. Sit, ut eſſe libenter fatemur, Marcus Tullius

Flos delibatus populi, ſuadæque medulla,

ſit ſummus Eloquentiæ magiſter, at non ſolus re-

gnum fandi obtinet, & plures admitti poſſunt in huius gloriæ conſortium ac ſocietatem. Nemo tam contemptim ac faſtidioſe de noſtra dicendi ſcribendique facultate opinari debet, ut credat nos per ignorantiam peccare, quum non dubitavimus uti vocabulis publici ſaporis, ſi non tranſmarinæ venuſtatis. Iudicio id fecimus, & meditate deliberatoq; conſilio, quod exempli cauſa non temere quidquam mutamus circa ſolennes inſtrumentorum formulas. Habet enim in talibus ipſa barbaries ſuam quandam elegantiam, ut nævus egregio corpori inſperſus aliquando pars eſt haud indecora pulchritudinis, & compoſita negligentia magis commendat naturalem formam, ſicuti matronæ tunc bene olere dicuntur quum nihil olent. Nobis iampridem ab Orbilij ferula nihil periculi eſt, nec ſupercilium pædagogorũ magnopere formidamus. Ignoſcet mihi genius Priſciani, qui iamdudum placida pace compoſitus quieſcit, ſi interdum in ſcriptis noſtris occurrent voces, quæ ſacrum quendam horrorem incutere potuiſſent populo Romano Quiritium, & quas luſtralibus februis expiari oportuiſſet, ſi exauditæ olim eſſent non dicam cinctutis

Cethe-

Cethegis, ſed feraciſſimo virtutum æuo Cæſaris Auguſti, qua tempeſtate floruerunt præclariſſima ſcriptorum ingenia. Quapropter benignus Lector non debet arbitrari ſe purgamentum aliquod calcare, aut delatum eſſe in ſolas terrarum oras, quo monſtra mitti ſolent, ſi quando verſabuntur ante oculos vocabula Romuli nepotibus inuſitata, quæ nunc terit viritim publicus uſus,

Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Ex hoc cenſu eſt inveſtitura, feudum, parlamentum, audientiarius, commiſſarius, & ſi quæ ſunt generis eiuſdem. Quas equidem voces veteri Latio inſolentes atque omnino inauditas fuiſſe confiteor, ſed religio mihi fuit recedere a communi conſuetudine, quæ optima eſt orationis interpres ac moderatrix. Ieiunæ cuiuſdam & minutæ ambitionis eſſet in talibus ineptijs captare gloriam elegantiæ, & abire ſeorſim a ſolennibus formulis quas præſens mos atque uſus approbavit. Nos nemini ſupplicandum habemus ut Romana ſimplicitate loquamur, & dilucide cogitata mentis enuntiare poſſimus, quæ præcipua dos eſt ſtyli & eloquu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

tionis. Turpe eſt difficiles habere nugas, atque ita per ambages fabulari, vt rerum geſtarum interpres interpretis operam deſiderare videatur. Silere omnino ſatius eſt, quam ea loqui aut ſcribere quæ mirentur homines potius quam intelligant. Vt in cæteris rebus, ſic in hoc genere vitioſa & odioſa eſt omnis affectatio. In titulis celſitudinum, & maieſtatum fui paulo parcior ac reſtrictior, quia me hiſtoriæ ſcriptorem, non cærimoniarum magiſtrũ profiteor, nec magni principes a deſignatione Academici doctoris fortunæ ſuæ legem accipient. Tamen quoties idonea occaſio ſeſe obtulit, libenter claros viros, & nomine ac meritis inſignes pro captu mediocritatis debita laude ſum proſequutus, virtutemque etiam in hoſte meritis elogijs honeſtare non dubitavi. Iuſtitiæ enim munus eſt ſuum cuique tribuere, primaria lex Hiſtoriæ veritatem venerari, reginam illam rerum divinarum atque humanarum, nihil falſi dicere propter aucupium gratiæ, nihil veri ſubticere propter metum offenſionis. Sed quia minime ſufficit Hiſtoricum non eſſe mendacem, hoc eſt carere vitio inſigni ad deformitatem, multæque ſunt aliæ virtutes adminiſtræ

comi-

comiteſque veritatis, obnixe ſtuduimus efficere ut hoc quamlibet exiguum ingenij monumentum omnibus numeris abſolutum, nullaque parte defectum in lucem exiret. Brevitas mihi, ſi cuiquam mortalium, vehementer arridet: ſed eam verborum numero metiri nō oportet, verum pondere & gravitate ſententiarum. Multi magno conatu magnas nugas agunt, & plurimis verbis pauciſsima dicunt. Quis brevitatis gloria comparandus eſt cū Salluſtio? Is tamen liberrime ſolet evagari, & plurimus eſt in digreſsionibus, apprime quidem illis ad vitam utilibus ac fructuoſis, ſed quæ ſæpiuſcule parum ad propoſitū faciant, & ex præparato quæſitæ eſſe videātur. Mihi idem licere permiſi. Nam pluris eſt apud me tanti ſcriptoris authoritas & exemplum, quam aridiſsima minutorum Rhetorum præcepta, qui ſine populi ſuffragio dictaturam in literas exercent. Porro nunquam per ſomnium imaginati ſunt, quid ſit Hiſtoriam vitæ magiſtram pro dignitate temporum ad æternitatem memoriæ cum utilitate legentium ſcribere, qui nuda ſimpliciqque rerum geſtarum narratione contenti, prætermittunt ea quæ ad mores, quæ ad vitam, quæ ad civilem prudentiam informādam faciunt.

Quid enim lectoris aut poſterorum intereſt ſcire quo conſule bellum aliquod ſuſceptum aut finitum ſit, quiſve triumphans urbem quadrijugo curru vectus introierit, ſi quo conſilio, qua mente quave ratione quidque ſit adminiſtratum, ignoremus? Dicam cum Aſellione Gellij, id fabulas pueris eſt narrare, non hiſtorias ſcribere. Sed quia mihi decretum eſt oportuniori tempore ac loco de hac nobiliſsima materie plenius & accuratius diſſerere, non diffundam me nunc prolixiori oratione.

Quomodo ſit conſcribenda Hiſtoria.

Quod autem interdum rebus ſerijs ac ſeveris ſales & facetias adſperſi, non admodum excuſandum arbitror. Neque enim culpam commeritus eſſe videor, & omnes elegantioris doctrinæ fautores huic amabili vitio facile veniam daturos omnino mihi perſuadeo. Si quem offendet ea venuſtioribus ingenijs agnata luxuries, Gratijs & Muſis ſacrificet priuſquam ius ſibi ſumat carpendi ea quæ more maiorum, & exemplo probatiſsimi cuiuſque ſcriptoris uſurpavimus. Profanum & imperitum vulgus non moramur, cui niſi quod ipſe facit nihil rectum videtur. Hæc ſunt extra territorium, & ſupra eorum iuriſdictionem. Scimus nos vivere in

re in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

re in regno & domicilio almæ Libertatis, utimurque fœlicitate temporum, qua & ſentire quæ velis, & quæ ſentias fidenter effari licet. Bona ſæculi non ſatis intelligerem, ſi ob inculpatam feſtivitatem, quæ nullius famam lædit, nemini ius ſuum detrahit, iudicia Silonum & Capitonum vehementer extimeſcerem. Multo minus invidia mihi deprecanda eſt, quod in orationibus interdum oratio noſtra luxuriatur, & affingit verba quæ nunquam dicta fuerint. Satis eſt ſi tali tempore, tali rerum articulo non incommode dici potuerunt. Qui id nobis vitio dabit, per latus meum petet quidquid eſt melioris notæ Hiſtoricorum, ſeu Græcos ſeu Latinos ad teſtimonium citare quis velit. Servavimus tamen in hoc lubrico ſcribendi genere modum, ſequutique ſumus, ſed libero inceſſu monumenta conſignata literis, quæ nobiſcum amice communicarunt viri inſignes, qui rebus gerendis publica cum authoritate interfuerunt. Quum autem ſub auſpicatiſsimi nominis veſtri præſidio ac patrocinio quidquid iſtud eſt laboris atque oneris ſuſceperim, nefas erat alios circumſpicere Mecænates, quibus has primitias operum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

dedicare in animum inducerem. Sumite volentes & placidi parva exordia maioris in poſterum curæ ac meditationis. Veſter labor erit explorare, quo in genere ſcribendi noſtram induſtriam exerceri velitis. Ego nihil affecto præter obſequij gloriam, & ut poſteritas norit, frementibus famelicis ac venalibus linguis, me vixiſſe non degenerem mundi incolam, nec inficiandum ſæculo nomen. Diſpenſate quæſo, & in uſum publici commodi ſeponite dona, quibus hunc civem veſtrum cœleſtis benignitas munerari dignata eſt. Iamdudum enim ſerio mentem meam invaſit generoſus ardor mandandi literis ea monumenta, quæ pertineant ad patriæ decus, ad temporum gloriam, ad poſterorum utilitatem. Deus O. M. veſtra conſilia, facta, dicta, cogitata rite ſecundare, & cœleſti favore ſuo complecti, atque ad fœlicem eventum exitumque provehere dignetur. Datum Lugduni Batavorum Kalendis Maij cIɔ. Iɔ cxiii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Εἰς Βαυδιάδην τὸν πάνυ, ποιητήν τε καὶ λογογράφον τῶν νυνὶ εὐδοκιμούντων ἐν τοῖς μάλιστα, τὰ μετὰ τὸν τῆς ἐκεχειρίας χρόνον συμβεβηκότα κατὰ τὴν Βελγίδα, μάλα σοφῶς τε καὶ λαμπρῶς ἱστορήσαντα καὶ ἑρμηνεύσαντα· τὸ νῦν εἶναι δὲ ταύτην τὴν ἱστορίαν ἐκδιδόντα.

Ἄρεα θυμολέοντα, μέγαν μήστωρα φόβοιο,
Μοίρης ἀνδρομέης τέκτονα θαρραλέον,
Αἵματι καὶ λύθρῳ κεχαρηότα, τειχεσιπλήτην,
Ληϊστῆρα κακὸν Βελγίδος ἡμετέρης,
Πολλοὶ ἐφημίξαντο· Βαταυῶν ἐν δαῒ λυγρῇ
Ἦτορ ἀτάρβητον καὶ νόον ἐκθέμενοι,
Ὅσσά τ' ἐλευθερίης ὕπερ εὐνομίης τ' ἐμόγησαν,
Προσδοκίῃ δόξης οὔποτε παυσομένης.
Αὐτὰρ ὁ Βαυδιάδης θεοείκελος, αἰθέρι κύρων
Πολλῇ τῇ σοφίῃ καὶ πιθανολογίῃ,
Εἰρήνην λάχε μοῦνος ἑαῖς βίβλοισι γεραίρειν,
Μητέρα Μουσάων, ἀρχὸς ἀοιδοπόλων.
Φοῖβε, σὺ δ' εἰν ἐνὶ φωτὶ δυοῖν ἀντάξια δήεις,
Μοῦσαν Μαιονίδεω καὶ λόγον Ἡροδότου.
Τοῖς πρότερον γὰρ ἔπασα τεοῖς ἱερεῦσι μέμηλε,
Τοῖσι μὲν εὖ μέλπειν, τοῖσι δ' εὖ ἱστορέειν.
Μοῦνος ὅδ' Ἀστεροπαῖος· ἐπεὶ περιδέξιός ἐστι
Πρίν ποτε τῇ μολπῇ, νῦν δ' ἀτὰρ εὐλογίῃ.

*** ΑΝΑΘΗ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ΑΝΑΘΗΜΑΤΙΚῸΝ

τῆς αὐτῆς ἱστορίας πέρι, πρὸς τὴν Εἰρήνην.

Εἰρήνη φιλόμουσε, τεὸν κατὰ πίονα βωμὸν
Τήνδ' ἀνέθηκε φέρων Βαυδιάδης σελίδα,
Εὐεπίης πηγὴ καλίρροος, ἐννεάκρουνος,
Νόστον τερπνοτάτη σὸν διαχαψάμενος·
Ὥς ποτε, δηρὸν ἄϊστος ὑπὲρ τραφερῆστε καὶ ὑγρῆς,
Δεύτερον αὖ πάτρην ἤλυθες ἡμετέρην·
Ἀλλὰ λιπὼν ἑτέροισι, τὰ μηδ' ὤφελλε γένοιτο,
Οἰμωγὰς κλαμένων, καὶ φόνον ἀργαλέον
Εἰκόντων καὶ Ἄρηα· παλιώξεις τε βαρείας
Τῶν πρὶν τειρομένων δηΐῳ ἐν πολέμῳ.
Σοὶ γὰρ μούνῃ, ἄνασσα, πόθοι φιλίητε μέμηλε,
Καὶ σοφίη πᾶσα, καὶ κλυτὸς εὐεπίη,
Δῶρά τε Μουσάων ἑλκυδέα· πὰρ δέ σοι αἰεὶ
Θελξίνοοι μολπαὶ, πὰρ δὲ χοροστασίαι,
Κρατήρ τ' εὐζώρου κεκερασμένος ἡδέος οἴνου,
Ἄνθεος εὖ ὄζων, εὐφροσύνης θεράπων.
Ἄλλοι σηκὸν Ἄρηος ἀάατου κατὰ δῆριν
Τεύχεσι κοσμείτων αἵματι δευομένοις,
Τοῖς κόρυς ἀμφὶς ἄρηρε, καὶ ἀστεράπτουσα κυδοιμὸν
Ἐπλαβόειος ἴτυς, τεῖχος Ἐνυαλίου.
Μοῦνοι δ' Εἰρήνης γλυκεραὶ σάλπιγγες ἔασιν
Μουσοπόλοι· Πειθοῦς τέκνα φυγοπτολέμου.

DANIEL HEINSIVS.

A M[r]. BAVDIVS
STANCES.

Baude ſi ie me perds en ta gloire infinie,
Yvre de la douceur d'une telle Ambroſie,
Pour ſi digne ſubiect ie cheri mon malheur:
Au moins ie me perdrai d'une perte honorable:
Toute perte eſt touſiours pour l'honneur deſirable,
Et tous les faits communs n'acquerent point d'honneur.
D'Icare un chemin neuf n'eſtonna la ieuneſſe,
Le pouvoir luy manqua mais non la hardieſſe:
Il eut pour le bruſler des aſtres le plus beau:
Il tomba pourſuivant une haute adventure,
Le Ciel fut ſon deſir, la mer ſa ſepulture,
Eſt il plus beau deſſein, ou plus riche tombeau?
Chef d'œuure de ce temps, admirable merveille;
Ame dans l'univers qui vis ſans ta pareille,
Toutes les qualitês que le ciel peut donner
Pour donner iour aux iours & luſtre a la memoire,
Attachant a ton dos les aiſles de ta gloire
L'aſtre qui luit ſur eux eut ſoing de t'en orner.
Baude du tout rempli de lumiere & de gloire
Qui de l'eternité limites ta memoire,
On devient tout ſçavant quand on ſçait t'admirer.
Ta gloire nous fait tous auoiſiner des nues:
Ta lumiere fait voir, les choſes incogneues,
Toutes deux ton eſprit qu'on ne peut comparer.
Eſprit qui des plus grands les louanges ſurpaſſes,
Qui dors ſans ceſſe au ſein des neuf Sœurs & des Graces,
Qui ſans monter trop haut ni trop bas devaler,
Qui pour eſtre touſiours a toi meſme ſemblable
Empeſches que nul ſoit icy ton comparable
Et qu'eſtant tout eſgal on ne peut t'eſgaller.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Eſprit des beaux eſprits belle & ſaincte lumiere,
Le ſoleil quand & toi bornera ſa carriere,
Tout ſeul tu monſtres plus en effect de ſçavoir
Que n'a fait ou fera nul autre en apparence,
Toute l'experience & toute l'eſperance
De ce que l'on a veu, de ce qui reſte a voir.
Bel aſtre, amy du Ciel, univers de doctrine,
I'ay ſenti tout d'un coup s'allumer ma poitrine
D'un deſir de tracer ton beau nom en mes vers:
Ie ſçai que ce beau nom enfante mon deſaſtre:
Eſt il plus belle mort que mourir d'un bel Aſtre,
Et plus digne tombeau que d'avoir l'univers?

Au meſme.

SONNET ACROSTIQVE.

D *e vouloir l'infini de tes vertus deſcrire*
O *u tracer ton beau los ou par proſe ou par vers:*
M *on Baude ce ſeroit meriter le martyre*
I *maginant pouvoir devancer l'univers.*
N *on non ie ne veux pas taſcher de les deduire*
I *care n'imitant d'un iugement divers:*
Q *uand il ſe guinde au ciel, ſa perte il en retire*
V *oulant ce qu'il na deu, qu'en a il pour lauriers?*
E *t toi qui n'eus iamais ni n'auras de ſemblable*
B *el eſprit que l'on tient du tout inimitable*
A *urois-ie donc l'oſer de te nommer ça bas?*
V *raiment ie me rendrois criminel temeraire*
D *igne de mille mers en terniſſant ta gloire*
E *t comprenant en fin ce qu'homme ne peut pas.*

R. I. DE NERE'E.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

De Inducijs
BELLI BELGICI.
LIBER PRIMVS.

EX omni genere monumentorum, quibus præclara ingenia memoriam nominis ſui grata cum recordatione ad poſteros tranſmittere ſtuduerunt, ij optimam partem videntur delegiſſe, qui res æternitate dignas à populis, regibus & optimatibus, bello ſeu pace deſignatas conſecrare perpetuis annalibus, & ab oblivionis injuria vindicare ſunt aggreſſi. Nam ſi ſcripta illa ferunt omne punctum, quæ cum ingenua delectatione ac voluptate ſeriam utilitatem adæquarunt: cui potius ea laus tribuetur quam legitimo hiſtoriarum conditori? Heic velut in ſpeculo mores & inſtituta gentium contemplari licet, ut inde civilem prudentiam hauriamus, illam vitæ ducem ac magiſtram, directricem & moderatricem humanarum actionum, quæ nihil eſt aliud, quam ex præteritis eventibus, conſilijs, dictis ac factis clarorum virorum, de præſentibus futuriſque rebus ſapienter ordinandis recte meditata ratio conſultatioque. Quanquam autem & legum ſanctiones, & præcepta philoſophorum conſecrata literis in æternum manſuris, permagnam vim habent ad ingenerandum animis bene natis amorem honeſtatis, & odium turpitudinis: tamen ita natura moribuſque comparatum eſt, ut generoſæ mentes ſponte ſuaderi malint quam malo cogi, flecti quã frangi, duci quam trahi. Quod optime fit propoſitis virtutum & vitiorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

exemplis, unde cordatus Lector ſumat quod ex uſu ſit, fugiat quæ cum dedecore & flagitio conjuncta eſſe videbuntur. Nam ſi olim poſterorum animos ad virtutem accendebant diſpoſitæ in atrio majorum imagines, quæ nihil præter externam corporis figurã intuentibus repræſentabant: quanto magis ad æmulandi ardorem excitari convenit viros gloriæ cupiditate flagrantes, quum ad vivum expreſſam vidẽt effigiem illam divinioris auræ, qua potiſſimum parte dignitas generis humani cenſeri debet? Quocirca mihi jampridem conſilium fuit in hoc genere ſcriptionis experiri vires ingenij, & gratiam candidæ poſteritatis demereri: ſed animus a ſemet ipſo diſſidens, & aſſiduo curarum inſultu jactatus, vix tandem ſecum in gratiam reverti potuit, ut aſſurgeret ad ullum excelſæ laudis incœptum, dignum ijs artibus ac diſciplinis, quarum gloriam ſemper adamavimus. Nunc poſtquam liberalitate potentiſſimorum & illuſtriſſimorum Ordinum, invitamur ad hanc honorificam operam communibus bonis impartiendam, nullus eſt ultra contationi locus, nec deſidiæ excuſatio carere poteſt flagitio deſertæ ſtationis. Igitur fretus auſpicio, benevolentia & authoritate optimorum Mecænatum, quorum fidei cuſtodiæque concredita eſt imperij dignitas, populi ſalus, cura patriæ libertatis, & antiquæ religionis, quibus me meaque omnia libens ac merito dicavi conſecravi, quod publico bono fiat, & ad ſæculi decus pertineat, conabor exponere ijs quorum in manus hæc ſcripta venient, arduum illud & multis obſeptum difficultatibus negotium pacis & induciarum, quod tandem poſt multiplices actus, præter multorum ſpem contra penè omnium opinionem felici exitu terminatum eſt, inter maximum regum Philippum & Sereniſſimos Archiduces cum illuſtriſſimis Ordinibus unitarum Belgij Provinciarum. Deum O. M. datorem omnis boni ex intimo pectoris penetrali quæſo veneror que, ut manum mentemque meam dirigat ad nominis ſui gloriam, & ad publicam utilitatem,

litatem, utque dictis meis libertas, fides, veritas conſtet, animuſque contingat a ſtudio partium liber, & uni æquus rectæ conſcientiæ.

Quum jam prope per annos quadraginta Belgicæ gentes vel continuis bellorum civilium tempeſtatibus agitatæ, vel per ſpeciem tẽtandi vias reconciliationis ſævius quam aperto Marte vulpinis artibus oppugnatæ eſſent: tandem multæ graves utrinque cauſæ intervenerunt, cur ſerio vel de perpetua pace, vel de longis a bello ferijs deliberatio inſtitueretur. Rex Hiſpaniarum ingenio placidus, & in gremio pacis educatus, nec ſua ſponte abhorrebat a quietioribus conſilijs, & tædio ſumptuum morarumque fatigatus honeſtam aliquam rationem vel ultro quærendam, vel ſponte oblatam non eſſe repudiandam judicabat, qua ſalvo Majeſtatis faſtigio ad finem tot incommodorum commode perveniri poſſet. Videbat enim immenſas opes nequidquam abſumptas, nec aliud effectum ſæviendo in cives ingenuos, quàm ut populus antea quietis amantiſſimus diuturno armorum uſu vires ſuas intelligeret, quod eſt imperitantibus maxime formidoloſum. Illud etiam uſu edoctus ſecum reputabat, perexiguam ſpem oſtendi fore ut unquam unitæ Provinciæ bellica vi domitæ ad veteres dominos reverti cogerentur, quamdiu nomen iſtud re & factis comprobarent, unionemque inter ſe, & pacta fœdera cum vicinis Regibus, ac Proceribus Imperij ſancta & inviolata conſervarent. Nihil igitur magis expedire, quam ut dulcedine otij mitigatę mentes paulatim exuerent inveteratum in Hiſpanos odium, & forte progreſſu temporis vel per mutuam communicationem, vel per affinitatum conventiones, ut multa ſæpe adfert volvendus dies, & ex tranverſo caſus incurrunt quos vix audeat quis optare, redituram aliquando ſubditis priſtinæ Majeſtatis reverentiam præ faſtidio minutorum ſatraparum. Denique ſi jacienda ſit alea, ſatius eſſe videri ultro conceſſum quod jam perditum & amiſſum eſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Archiducibus ad pacem & tranquillitatem propenſis, nihil æque erat in votis, quam ut eam Belgarum partem quos habebant dicto audientes, ſine vicinorum metu placide moderari, & in obſequio ac fide retinere poſſent. Ordinibus etiam multa quidem proſperrima, ſed & nonnulla evenerant adverſa, nec omnia ex voto ſucceſſerant, quæ pro diſciplina & ſalutaribus monitis eſſe poſſent, ut magnitudinem ac potentiam hoſtium reputare, & ambiguos bellorum caſus, incertamque Martis aleam revereri in animum inducerent, neu fortunam amplius experiri mallent, quam haud iniquis pacis conditionibus facilem aſſenſum præbere. Non enim cupidine proferendi imperij, nec alio fine ſumpta arma, quam ut ab exitio & ſupplicijs vitam, a tributis modum omnem ſupergreſsis fortunas ſuas defenderent, cives ita nati & aſſuefacti, ut tantum abhorrerent a ſervitio, malorum omnium extremo, quantum ad legitima officia & obſequia prompti paratique eſſent. Sed ingens heic difficultas, & vix ſolubilis nodus exoriebatur. Nam fixum penitus & immotum ſedebat proceribus unitarum Provinciarum, nullam omnino compoſitionis mentionem admittere, nec Legatis pacē petentibus ullam in publico conventu audientiam commodare quamdiu Rex aut Archiduces quidquam juris in confœderatas Belgij Provincias prætenderent: & videbatur inferius Majeſtate tantorum Principum, ſub tam indecora lege cum populis paciſci, quos ſubditos rebelles judicabāt, & quibus Burgundiacæ Auſtriacæque domus potiſſima incrementa debebantur. Primus ad explorandos hominū animos, & velut prætentandum vadum nomine Archiducum Hagham venit

ↀ IↃ CVI. *prid. Non. Maij.* VValravius a VVittenhorſt, Horſtij Dominus, vir nobili genere naus, & efficax alliciendis mentibus, ſed re infecta diſceſſit, nonnihil tamen bonæ ſpei domum reportavit, & hactenus manſueta ingenia reperit ut retineret animum revertendi.

x Kal. Ian. Nam ſub ejuſdem anni finem rurſus in Hollandiam profectus

eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

eſt una cum Licentiato juris Iohanne Gevartio, qui viſus eſt non inidoneus ad obeundam eiuſcemodi legationem. Mandatis Archiducum, quæ cum paucis primariæ dignationis & authoritatis viris communicarunt, continebatur ipſis nihil eſſe exoptatius, quam ut hoc diuturnum ac lugubre bellum fida, pia perpetuaque pace conſopiri poſſet, & afflictæ Belgarum res in antiquum decus ac ſplendorem reſtitui. Cuius boni potiundi ſpe tam æquas & honeſtas conditiones propoſitum iri, ut veriſimile ſit moram nullam in Ordinibus fore, quo minus ijs merito ac libenter ſint aſſenſuri. Nemini eſſe ignotum ius quod ipſis a natura competat in univerſam Belgarum gentem, nihil a ſe niſi patrium & avitum heredium poſtulari. Proceres unitarum Provinciarum viciſſim exigere poſſe quidquid ad eorum ſecuritatem faciat, nihil ſe recuſaturum quod cum iuſtitia & recta ratione conſentaneum eſſe iudicetur. Siquidem in animum inducere vellent de pace, vel plurium annorum inducijs colloqui, deſignarent tempus & locum, quo id commode fieri & adminiſtrari queat. Sin conſultum videretur non in publico conceſſu, ſed ſecreto coram paucis negotium iſtud tractari, conditionem non diſplicere Sereniſſimis Archiducibus, quorum animus ab omni fuco & fraudandi conſilio ſemper fuit alienus, ut qui norunt ex fiduciæ formula inter bonos bene agier oportere. Quibus expoſitis cæperunt ultro citroque commeare ſermones, ſed quia nullæ literæ ab Archiducibus ad publicum conſilium ſcriptæ erant, non eſt viſum expedire ut ea monumenta publice proponerentur, aut omnino diſpaleſcerent in vulgus, donec amplioribus mandatis inſtructi eſſent. Eiuſce rei gratia Gevartius confeſtim Bruxellas ſeſe contulit, & mox impetrata ab Archiducibus pleniori declaratione voluntatis propenſæ ad ſtudia pacis, reverſus eſt Hagham, ubi cum collega VVittenhorſtio poſtulavit audientiam ab Ordinibus, atque in eorum conſeſſu

multa dicta ſunt ſuper clementia & manſuetudine Sereniſsimorum Archiducum, quam ſemper averſi fuerint a cædibus & diſcordijs, quam omni ope ſtuduerint finiri hæc funeſta bella inter populos linguis, moribus, inſtitutis conſentientes, ni fatorum vis quædam maior obſtaret, quæ fratres inter ſe crudeli Marte committeret. Ponendum tandem aliquando pertinacibus odijs, & diſſidijs finem, redeundum in viam, conſiderandum quantæ ſint viciſſitudines rerum humanarum, quam ſit anceps & varia fortuna Martis, nuſquam minus quam in bello eventa votis reſpondere, pacem omnibus triumphis anteponendam, & certam victoriæ ſpem ſæpe graviſſimis calamitatibus expiari, quæque alia plura poſſunt in eam ſententiam adduci, ut homines cordati & circumſpecti fortunam reverenter habeant, neu nimium confidant rebus proſperis, & ad nutum fluentibus, quum futuri temporis exitus in incerto ſit, nec cuiquam mortalium liqueat quid ſerus veſper vehat. Proinde ex diuturnis bellorum tempeſtatibus reciperent ſe in portum quietis; & tranquillitatis: ſequerentur reliquarum Belgij Provinciarum conſenſum, fidem & erga legitimos Principes obſequium, ut junctis viribus & animis certatim univerſi Belgæ ad eoſdem dominos, & ad veteris imperij formam revertantur. Ad iſta paucis diebus interiectis reſponſum eſt ex parte Ordinum, perexiguam vel potius nullam compoſitionis ſpem proponi, quandoquidem Archiduces in priſtino & inveterato illo errore mentem obfirmatam gererent, ut aliquid ſibi ſupereſſe iuris in Provincias unitas arbitrarentur, quum apud omnes penè totius terrarum orbis populos conſtet, nullo colore, niſi vi & armis prætextum iſtud fundari. Contrà Proceres earum Provinciarum pro certo & indubitato credunt cauſam ſuam optima lege ſubnixam videri, quum in Ordinum ſolenni conſeſſu, *a* in unione Vltraiectenſi decretum ſit, ut armis repeti ac retineri poſſint, quæcunque

a IV Kal. Februar. CIↃ IↃ LXXIX.

loca

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

loca viribus armorum expugnata, vel fraudibus circumventa ſe a communi cauſa diſtraxerunt. Hujuſce conſulti authoritate graviſſimis & iuſtiſſimis de cauſis renuntiatum *b* eſſe dominationi Regis Hiſpaniarum, ſtatutumque ut cives harum Provinciarum ſoluti legibus externorum Principum viverent, & pro libera republica cenſerentur. Decretum id tranſiſſe in rem iudicatam lapſu viginti quinque annorum, comprobatumque fuiſſe ſuffragio & aſſenſione multorum Regum ac Principum Chriſtiani orbis, ut ex diverſis actibus publicis, fœderibus & pactis conventis liquido confirmari poteſt. Quocirca ſibi judicatum eſſe pio juſtoque duello recuperare quæ per vim aut fraudem contra decretum iſtud in poteſtatem hoſtium redacta eſſent. Nihil in præſens aliud ad poſtulata Sereniſsimorum Archiducum reſponderi poſſe, quam quod olim declaraſſent Imperatori, aliiſque Principibus qui ſuas partes interpoſuerant ad componendos hoſce motus Belgarum. Nimirum nullam unquam fore nec divino, nec humano iure tutam & ſecuram rationem compoſitionis ullius auſpicandæ cum ijs, qui aliquid in medium conſulere, aut attentare præſumerent contra vim & aurhoritatem illius decreti, quod a patriæ libertatis vindicibus unanimi conſpiratione ſancitum, & multorum civium ac fortiſſimorum militum ſanguine obſignatum eſſet. Hoc eſſe quaſi pignus imperij, hoc Palladium publicæ ſecuritatis. Omnia potius extrema ſibi experiri certum eſſe, quam ut a tali prędidio propoſitoque ſeſe demoveri paterentur. Poſtremo ſi quid calamitatis impendeat cervicibus harum Provinciarum (quod Deus omen avertat)ex cauſſa diſſidiorum & alienationis animorum, ejuſce rei culpam penes Archiduces hæſuram, qui tam juſtis & legitimis vindicijs moleſtum impedimentum objeciſſent. Cum tali reſponſo dimiſſi Legati Bruxellas ſeſe receperunt, & intra paucos dies ad Ordines literas miſerunt in hanc ſententiam. Non eſſe, nec fuiſſe propoſitum Archidu-cibus

b VII *Kal. Sextil.* cIↄ Iↄ LXXXI.

cibus in hoc tentamento pacis aut induciarum, quidquam de forma publici regiminis eorum delibare, aut omnino jus aliquod in ipſos ſibi vindicare. Manerent ſuis legibus, moribus & inſtitutis. Sin finem miſeriarum cuperent, quæ bello civili comitari ſolent, & a fœdere aut inducijs non abhorrerent, libenter eo mentes Celſitudinum ſuarum inclinaturas. Haud multo poſt finem Februarij menſis reverēdus Pater Iohannes Ney, Generalis (ut vocant) Commiſſarius Ordinis Franciſcanorum miſſu Archiducum profectus eſt in Hollandiam, ut inchoatam negotiationem promoveret. Is educatus fuerat in ea religione, quæ a ſtudio inſtaurandæ purioris doctrinæ reformata nominatur, & (ut ex ipſomet audivi) annum jam agebat vigeſimum priuſquam hominem monachali habitu indutum unquam vidiſſet. Poſtea conceſſit ad Romanam Ecclesiam, & ut ſeveriori genere vitæ fidem faceret ſeriæ atque ex animo profectæ converſionis, aggregavit ſe militiæ cœleſti, factuſque eſt unus e grege minoritarum. Vir induſtrius, efficax, multarum linguarum peritus, aulicarum artium minime rudis, & qui naturam verſare poſſet in varias partes, ac velut alter Proteus multiplices formas aſſumere, quas ei fors obieciſſet, aut officij ratio aſſignaſſet. Credebatur tamen abeſſe fraus & fucus ab eius pectore, nec facile quemquam decepturus qui ſibi fidem habuiſſet. Is quod artificio colligendæ benevolentiæ plurimum polleret, & quia ex diſciplina ſectæ præcari ſoleret pacem vivis, requiem defunctis, viſus eſt idoneus qui annuntiaret Euangelium pacis. Poſtquam venit in Hollandiam, ſubſtitit aliquantiſper in pago haud procul ab Hagha, ſede olim ac domicilio Comitum Hollandiæ, fecitque Ordines de ſuo adventu certiores. Poſtquam intellectum eſt quænam perſona & quam ob cauſam veniſſet, atque ipſe præſens cum Principe Mauricio ſermonem ſociaſſet, Hagham ingreſſus eſt: multique mortales novitatis ſtudio, & cupidine humani ingenij ad viſendum & con-

ſalutan-

ſalutandum fratrem acceſſerunt. Mandatis eius continebatur ut ſignificaret Ordinibus, omnia ipſis integra fore, conſuetam regendi formam, libertatem, religionem in priſtino ſtatu manſuram, iura, privilegia nullam partem imminutum iri, ſi de pace vel inducijs cum Archiducibus convenire in animum inducant. Ne vana ſpe lactarentur mentes adverſariorum, & ut ſimpliciter Batavica generoſitate tolleretur occaſio tot itionum ac reditionum, dictatoria denunciatione reſponſum eſt, nullum tentandæ compoſitionis auſpicium fieri poſſe, ni prius Archiduces ipſi declaraſſent ſe Ordines fœderataſque urbes ac provincias pro libera republica, ſuique iuris ac dominij populo cenſere. Non latebat ſagacem animum patris Ney, quanta labes hinc fieret dignitati principum, quorum vices ac perſonam tuebatur: tamen ne offenſionis aut timoris ſuſpicionem præberet, ſi intelligere videretur, ſuſcepit in ſe munus ſignificandi rem omnem Archiducibus, bona cum ſpe futurum ut cuncta ſuccederent ex animi ſententia, nec indulgentiſſimos principes quidquam denegaturos, unde ſalutaris pax, aut longa requies ab hoſtilitate Belgis affulgere poſſet. His ita peractis redijt ad ſuos dominos, qui paucos intra dies eumdem ad Ordines remiſerunt, cum literis in hanc ſententiam conceptis. Nihil ſibi prius eſſe, nihil antiquius, quam ut non ſolum cives dextræ ſuæ permiſſi, verumetiam cætera natio Belgarum tot calamitatibus ac miſerijs, quas longa continuatio bellorum civilium intulit, liberari queant. Ea fini ſeſe paratos eſſe cum Ordinibus unitarum Provinciarum paciſci, tanquam cum libero populo, in quem nihil amplius iuris prætenderent, ut tandem aliquando lamentabili huic bello finis imponi queat pia, fida, & æterna pace: vel ſi protinus hoc impetrari non poſſit, pactione induciarum ad duodecim, quindecim, aut viginti annos, prout Ordinibus viſum erit, idque ſub æquis & honeſtis conditionibus. Non enim ſe aliena concupiſcere, ſed ſatis habere ſi quiſque ſua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

tueri, placideque poſſidere queat, niſi forte ex mutuo conventu fiat utrinque permutatio quorundam locorum aut urbium, uti ſecuritas publica commoditaſq; ambarum partium poſtulare videbitur. Ac ne qua fraudis aut inſidiarum ſuſpicio mentibus Ordinum inſidere poſſit, quum ad negotiationis efficaciam interſit plurimum quibus adminiſtris res gerendæ committantur, ſpondent Archiduces ſe ad eam rem non uſuros alienigenarū opera, ſed Belgici generis & ſanguinis hominibus id omne munus demandaturos, tali numero, tali loco, quem ipſi Ordines præfiniendum iudicabunt. Atque ut commodiori via, & feliciori auſpicio deveniri poſſit ad portū beatæ pacis, ultro offerunt ceſſationem ab armis in octo menſes, quo tempore ſuperſedebitur utrinque ab omni hoſtilitate, ab urbium, aut caſtellorum oppugnatione, ab obſidionibus, aut clandeſtinis irruptionibus, ab arcium novarum exſtructionibus, alijſque paratibus, aut molitionibus unde fraus aliqua pactioni induciarum fieri queat. His literis in publico conſeſſu Ordinum recitatis, auditoque Patre Ney, Senatus adhibito in conſilium Principe Mauricio ita cenſuit, placere patribus conditionem oblatam ab Archiducibus in ſpem ſequuturæ pacis, curaturos ſe ut ea de re perſcribatur ad omnes quorum intereſt. Inducias octo menſium publico conſilio ratas haberi, ijs legibus quas Archiduces propoſuerunt,
CIƆ IƆ CVII. utque earum initium procederet ab IV Nonas Maij, atque intra Kalendas Septembreis ex utraque parte delegarentur certi homines, qui de ſumma re colloquium & conſultationem inirent. Eadem opera convenit inter Ordines & patrem Ney, pro ea poteſtate qua inſtructus erat, dolum omnem abfuturū, bonaque fide ſervatum iri pactas inducias, ſi quid contra eas, vel in fraudē commiſſum aut attentatum eſſet, id protinus repararetur. Viciſſim ſpoponderūt Archiduces Regem Hiſpaniarum intra trimeſtre ſpatium conventionem eam ratam habiturum, eoque nomine bina inſtrumenta confectum iri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

quorum uno prædicta ratihabitio cōtinebitur, altero declarabit regia Majeſtas ſe nihil quicquam juris aut dominij prętendere in cives, incolas, urbes & regiones fœderatarū Provinciarum. Quanquam hæc ita geſta erant in frequentiſſimo convētu dominorum Ordinū, ut ſtatim fama per omnium ora diffunderetur, tamen viſum eſt Ordinibus literas ſuper ea re publice expediri, ut pro tam ingenti & inſperato bono preces, laudes, grates ſupremo Numini bonorum omnium datori ac diſpenſatori voverentur. Dictus jejunio, & ſupplicationi dies VII cIↃIↃ
eidus Maias. Interea mittitur Theodorus Douſa commiſſarius cVII.
Ordinū, qui a Patre Ney poſceret eique viciſſim ex parte Ordinum traderet literas, de quibus ex mutuo conventu fuerat actum, quumque ſuper quibuſdam verborum formulis nonnihil ſcrupuli ac difficultatis eſſet injectum, ut Pater Ney rebus & factis oſtenderet Sereniſſimos Archiduces ſine fuco & fallacijs ex animo rem gerere, cōtinuo literas ex poſtulatu Douſæ in Ordinum verba concipiendas curavit, eaſque per expeditum nuncium Bruxellas ad Archiduces tranſmiſit; unde ſtatim remiſſæ fuerunt in ſolenni formula ſubſcriptę manu, munitæque ſigillo ſuarum Celſitudinum. Donatus eſt aureo torque Douſa, quem ei Pater Ney obtulit nomine Archiducum. Quoniam autem publice erat ipſi attributa talis poteſtas & authoritas, ut ſi quid oriretur ambiguitatis aut controverſiæ circa materiem induciarum, ejus eſſet nodum ſolvere, & ſententiam, mentem ac voluntatem Sereniſſimorum Archiducum interpretari, poſt nonnullam altercationem Douſa ſibi perſuaderi paſſus eſt ut una ſecum Hagham proficiſceretur. Quod abſque Ordinum mandatu factum nonnulli improbaverunt, ſed Pater Ney tanta cum dexteritate munus ſuæ fidei ac prudentiæ concreditum adminiſtravit, ut omnibus offenſis & ſiniſtris opinionibus anſa præcideretur. Quinetiam tollendas curavit difficultates, quæ ſuper regundis induciarum finibus terra marique objciebantur. Articuli publicis

actis conſignati ſunt, quos vitandi legẽtium faſtidij cauſa prætermittemus. Neque enim eſt ex dignitate ſcriptoris hiſtoriarum, nec magni intereſt poſteritatis talia particulatim mandari literis, ſufficit ſi ſumma rerum magnarũ faſtigia ſequamur. Hunc ad modum tranſacta conventione induciarũ, & concepta ſpe ſanciendi exinde perpetui fœderis, poſt pugnata bella per tot annos, ſequuti ſunt varij motus habituſq; animorum. Plerique votis, & imaginatione redituram auream ætatem augurabantur, alij quos cædes & diſcordię civium alebant, omnẽ pacis & induciarum mentionem, tanquam inauſpicatum omen deteſtabantur. Signa tamen externæ lætitiæ paſſim omnis ordo præ ſe ferebat. Finitimi Reges & Principes benevolentia, fide & fœderibus cum Ordinibus iuncti, vehementer admirati ſunt, quid tam inopinatum eveniſſet, cur ſic repente ſe neſeijs & inconſultis negotium tanti momenti concluſum fuiſſet. Non enim videbatur veriſimile, vel adeo metuendam eſſe potentiam ac vires unitarum Provinciarum, vel copias & opes Archiducum tam ad incitas cogi, ut ultro mitterent rogatum pacem a populis olim ſuo juri ſubiectis cum conditionibus Auſtriaca ſublimitate indignis. Igitur multi aliquid monſtri ali credebant, eo magis quod ita ſubito ac ſecreto tanta res inter paucos geſta erat. Quum Chriſtianiſſimus Rex Galliarum ex Ordinum literis certior factus eſſet de ſucceſſu totius negotij, moram nullam interponendam putavit, quin extemplo mitteret ad unitarum Provinciarum Proceres ſolennem & magnificam legationem, cui obeundæ delegit tres viros fama meritiſque inſignes. Nomina cõſecrata erunt perennitati donec in pretio virtus erit. Quanquam nec a mea laude quidquam ornamenti accedere poteſt magnis heroibus, uti nec hilum decedit ex malignorum obtrectatione, tamen ſine piaculo non poſſum nec debeo tacitus præterire virum ampliſsimæ dignitatis, & eximiæ virtutis, prudentiæ ac ſapientiæ Petrum Ianinum, Senatus Divionen-

ſis

ſis Præſidem, interioris apud maximum Henricum admiſsionis, cujus in obeundis arduis muneribus fidem, ſolertiam, & magnitudinem animi nulla unquam obſcurabit oblivio. Is quum fatali quodam motu concuſſæ fuerunt improvidæ mentes Gallorum ad excutiendam veterem erga Reges ſuos venerationem, vi majore quaſi tempeſtate delatus eſt in partium certamen: ſed quod tali tempore vix ab ullo mortali ſperari poterat, rectum ſemper clavum juſtitiæ ac moderationis tenuit, cavitque quantum humanis conſilijs provideri potuit, ut ſcelera pœnis plecterentur, & ne quid in tanta rerum omnium perturbatione committeretur, quod venia & oblivione ſanari non poſſet, quodque omnem ineundæ reconciliationis aditum intercluderet. Nec vero tu ſilendus, aut ſine cura dicendus es, Buzanvali, ſi qua cura reſtat ſepultis eorum quæ in terris geruntur, quem antea perfunctum maximis honoribus, & ex ambitionis occupationibus in otioſæ dignitatis portu quieſcentem Magnus Henricus blando imperio, & amica vi perpulit, ut hunc extremum laborem Francico nomini atque honori devovere ne gravareris, propter exactam rerum Belgicarum experientiam, quam diuturna legatione conſequutus eras, & quia gratiſſimam tui memoriam in Ordinum mentibus defixeras. Tertius huius ordinis erat Elias de la Place Dominus de Roiſſy non indignus collega præclaro iſto triumviratu. Hi ut Hagham advenerunt, paucis poſt diebus in conſeſſu Ordinum verba fecerunt, quibus ſumma cum facundia commemorarunt, & laudibus haud vanis in cœlum extulerunt Regis ſui erga ipſos amicitiam, ac ſingularem benevolentiam non adumbratis ſignis, aut inani jactantia fucatam, ſed omni genere officiorum, largitate ſubſidiorum & commeatuum, rebuſque ac factis cumulatiſſime comprobatam. Quæ quum nulli ſint obſcura, leniter offendi Regem, ut benignum patrem decet, quod ſe non adhibito in conſilium inducias cum hoſte pepigiſſent. Tamen Majeſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

tem ſuam in priſtino bene merendi propoſito conſtanter perſeveraturam, nec ulla in re defuturam ipſis qua conſilio, qua copijs atque opibus, ſive pacem ſive bellum mallent. Ad extremum petebatur ut publica authoritate delegarentur nonnulli e collegio Ordinum, quibuſcum ſigillatim communicarent ea, quæ in mandatis habebant, junctiſque conſiliis deliberarent de ijs quæ in uſum communem fore viderentur. Poſt exquiſitam gratiarum actionē, quæ ſolennis formula eſt omnium cum dominantibus, deſignati ſunt ab Hollandis Iohannes ab Oldenbarnevelt, Advocatus provinciæ, ſigillorum cuſtos, & ſcriniorum magiſter, vir fama & factis ingens, omniq; laude maior, quem verè alterum Periclem unitarum Provinciarum, & patriæ libertatis Atlantem appellare poſſumus. A Zelandis Iacobus Maldereus flagrantis apud Principem Mauricium gratiæ, & præcipuæ apud ſuos Mattiacos dignationis atque authoritatis, quas dotes non auræ popularis aucupio captavit, ſed integritatis & fidei commendatione promeritus eſt. Erant & alij ex alijs Provincijs, interque eos ærarij Quæſtor de Bye, vir patriæ amans, & civis haud indignus memoria gratæ poſteritatis. Hiſce delectis viris id curæ & oneris impoſitum eſt, ut cum Legatis Galliarum conſilia conferrent, eoſque publico nomine rogarent, ut Regis vicem præſentia ſua ſupplerent, & rebus gerendis lucem conſilij, gratiæ atque authoritatis commodare dignarentur, dum negotiatio illa pacis atque induciarum diſceptaretur. Haud multo poſt miſſi ſunt ad Regem Magnæ Britanniæ legati duo, nimirum ex parte Hollandorum Iohannes Berckius, Conſiliarius & Syndicus civitatis Dordracenæ, quæ ſecundum Equeſtrem Ordinem ius habet dicendæ primo loco ſententiæ in Ordinum Hollandiæ cōſeſſu. A Zelandis delectus eſt is, quem paulo ante memoravi, Iacobus Maldereus, vir equeſtri dignitate præditus, & qui id muneris in conſilio Zelandorum obtinet, vt Mauricij Principis perſonam ſuſtineat, & nobilium pri-

mus

mus appelletur. Hi ut venerunt in Britanniam adſumpſerunt in partem curarum Natalem Caron, qui jam plures per annos etiam ſub regno ingentis Eliſabethæ multa cum laude fidei ac prudentiæ reſedit in ea inſularum regina, vir naturali judicio pollens, & multo rerum uſu ſubactus, in ſumma digniſſimus munere ſuo Legatus Ordinum. Excepti ſunt ab optimo Rege perquam humaniter, admiſſique haud ſemel ad colloquium in penetrali parte ſecretioris aulæ ſummotis arbitris, nulloque præter regiam Majeſtatem adſiſtente qui ſermones eorum aucuparetur. Nullum genus civilis animi, & comitatis omiſſum eſt unde ſignificatio veræ benevolentiæ colligi ſolet. Confeſtim & abſq; ulla tergiverſatione impetrarunt quæ deſiderabant, nec indonati abierunt. Rex ad Ordines legavit generoſum Equitem Richardum Spenſerum, familiarem domus ſuæ, & Rodolphum VVinvvood pariter Equitem, qui antea ſub Agentis titulo conſilijs Status intereſſe ſolitus, tanta cum dexteritate, fide ac diligentia provinciam iſtam geſſerat, ut maiori ſemper honore dignus judicaretur. Iam ante diximus ſpopondiſſe Archiduces Regem Hiſpaniarum ratam habiturum pactionem induciarum inter ſe & Ordines conventam, idque intra ſpatium trium menſium. Adhibita eſt a Sereniſſimis Principibus omnis diligentia quæ a fidei obſervantiſſimis deſiderari potuit. Simulatque perlatæ ſunt in Belgium literæ, quibus a Rege comprobabatur authoritas rerum geſtarum, impetrato commeatu profectus eſt in Hollandiam Ludovicus Verreycken magnæ apud Archiduces dignationis & gratiæ, cuius officium Audientiarij vocabulo deſignatur, vir natura genitus, & induſtria factus ad humanitatem, & ad devinciendas popularium voluntates maxime idoneus, ſumma in homine morum comitas & commoditas, cujus indicia vultus ipſe exhibet, præ ſe ferens mixtā cum gravitate miram ingenij feſtivitatē. Is ea cauſa miſſus eſt ad Ordines, ut haſce quas dixi

literas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

literas ipſis exhiberet. Eo ipſo die quo venit Hagham Senatus ipſi datus eſt. Erant enim arrectæ mentes hominum impatienti deſiderio, & exſpectatione cognoſcendi tam inſperatum & horribile ſecretum. Quia non ſunt in tranſcurſu, nec propter viam adoranda magna numina, nec perfunctorie luſtranda divûm oracula, nos ipſum carmen de verbo ad verbum Latine interpretari conabimur. Poſtquam regia Majeſtas inſpexit quæ hoc ſcripto continentur, miſſo ſibi a chariſſimis fratre ac ſorore illuſtriſſimis Archiducibus Alberto, & Iſabella Clara Eugenia Principibus ſuprema poteſtate præditis, dominis, ac proprietarijs Belgarū ſeu inferioris Germaniæ, ſuper ceſſatione armorum in VIII menſes, utq; abſtineatur ab hoſtili interceptione urbium, oppidorum, caſtellorum, ab aggreſſu & invaſione regionum, neve nova propugnacula pendente eo tempore exſtruantur, utque ex utraque parte certi homines delegentur, qui de pace longiſve bellorum ferijs ſimul deliberēt, quemadmodum prædicto ſcripto compræhenſum eſt. His maturo conſilio accurate examinatis, ne quid remoretur, aut impediat commodum quod inde ſperari poteſt, Regia Majeſtas declarat ſe ceſſationem illam armorum laudare, approbare, firmam & ratam eſſe velle, quemadmodum hoc inſtrumento laudat illam, approbat, firmam & ratam eſſe vult in omnibus articulis prædicta ſuſpenſione & ceſſatione armorum compræhenſis, quatenus ea res ad ſe ullo modo pertinere poteſt. Polliceturque ſub fide & affirmatione regali, ſe prædictum iſtud ſcriptum rite ſervaturum, & opere completurum, tanquam ſi ab initio conſenſum ſuum interpoſuiſſet, ac negotium ſe duce & auſpice geſtum foret, nec unquam commiſſurum ut quid ſecus feciſſe dicatur. Ad adſtruendam fidem regia Majeſtas nomē ſuum
cIↄ Iↄ huic inſtrumento ſubſcripſit, & ſigillum adtexendū curavit in
c VII. urbe Pincia, ſeu Valladolit ultima die menſis Iunij. Hæ literę quum eſſent in Ordinum conſeſſu perlectæ, quia non levia

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

aut ludicra præmia petebantur, ſed de ſumma reipublicæ, de ſtatu libertatis certamen erat, itum eſt in conſilium de ſingulis vocabulorum apicibus, ne quid inexcuſſum patriæ patres reliquiſſe viderentur. Multa fuerunt ob quæ callidi rerum, & publicæ dignitatis obſervantes judicabant hanc ratihabitionem minime ratam haberi oportere, nec approbationem ullo modo approbandam videri. Culpabatur prætermiſſio defectuſque ſolennitatum nequaquam negligendarum in tam gravi negotio: quod in papyro non in membrana conſcriptum inſtrumentum eſſet, quaſi ſumptus aut operæ pœniteret, quodque Rex nomen ſuum ſubſcribere non eſſet dignatus, uti adſolet quum ad principes ſcribit iuri ſuo non ſubiectos, ſed ſuperbum illum titulum ſubſtituiſſet, Io el Re, Ego Rex, quaſi retinens antiqui iuris & exprobrans liberis civibus crimen perduellionis. Nec abivit inobſervatum, quod per faſtum & contemptum minuſculo non maiore ſigillo tantæ rei monumentum obſignatum eſſet, quo iaci debebant fundamenta ſperandæ in æternum pacis, inter populos qui penè per annos quadraginta bellũ pro libertate, ac legitima ſui defenſione toleraverãt. Sed præcipue fœcundam offenſionibus materiem præbuit, quod Archiduces ibi nominantur principes, domini & proprietarij totius Belgicæ, quod ex adverſo pugnat cum propoſito renuntiationis. Hęc hallucinatio quum eſſet obiecta Audientiario Verreycken, ingenioſe culpam reijcere conatus eſt in incogitantiam ſcribæ, cui non venerat in mentem eſſe recedendum a ſolennibus titulorum formulis. Sed nullo ſchemate poterat excuſari, quin de induſtria conſultoque conſilio factum eſſe crederetur, quod ibidem non apparebat ulla mentio unitarum Provinciarum, tanquam liberi populi, ſuoque iure utentis reipub. Id vero ſine meditamento fraudis prætermiſſum non fuiſſe, haud magis quam in ſacramentis adminiſtrandis ſacramentalia verba, aut heredis inſtitutio in ordinandis teſtamentis omitti poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Cui enim non ignaro patriciarum artium perſuadebitur, huius inſtrumenti concipiendi munus formulario cuipiam reſignatum fuiſſe, ac non potius conſultiſſima rerum humanarum ingenia nervos omnes judicij in expendendis vocabulorum ſenſibus explicuiſſe, ne quid Regia Majeſtas & Hiſpana ſublimitas caperet detrimenti? Legatus Verreycken, ut experientem virum & fidelem adminiſtrum decebat, vertit ſe in omnes formas ut ex animis hominum aboleret quidquid hærere poterat incommodæ opinionis, ex nimis ſcrupuloſa & anxia verborum cavillatione. Non couvenire ſimplicitati generoſorum civium cum maximis Regibus contrahentium hærere circa ſyllabas, & aucupari voculas, quum ex contextu totius inſtrumenti cuivis non ſiniſtro mentis interpreti ſatis liqueret de conſenſu ac voluntate circa ſummam & caput præcipui negotij quod gerebatur: nimirum circa comprobationem rerum ab Archiducibus conceſſarum. Id in præſentia ſufficere debere hominibus qui litium cauſas non captarent, & ſerio de pace ineunda finiendoque bello cogitarent. Cum Regibus regio more eſſe agendum, qui altioribus curis intenti eſſent, quam ut ad haſce ſolennium carminum minutias ſeſe demittere conſuevisſent. Nihil tam caute & circumſpecte dici vel concipi poſſe, quod ſpecioſam perjurio latebram non aperiat, ſi quis ſcripturam pluris æſtimet, quam promiſſi fidem & jurisiurandi religionem. Nunquam hominibus fallendi cupidis anſam defuturam cur pacto non ſtetur. Ordinibus concedi a potentiſſimo Regum quod vix antea votis auſi eſſent optare, & quo nihil maius exſpectare poterant poſt feliciſſimos bellorum exitus: nempe ut ex æquo cum populis olim ſuo juri ſubiectis ad pactiones deſcendere dignaretur. Non admodum firmo ſtabilique munimento fundatam fore dignitatem, libertatem, decus & exiſtimationem unitarum Provinciarum, ſi non ſuis viribus ſtarent, ſed penderent

ab ambiguitate verborum, vel omiſsione cautionum, quas tam rigido examine perſcrutari magis ad cauſidicorum anxiam diligentiam pertineret, quam ad Ordinum ampliſsimorum gravitatem. Non poſſe nimis firmo præſidio muniri cauſam publici ſtatus, ſed interdum præ ſtudio modum excedi, dum minimis eam rebus intempeſtive ſolliciti cives conſtabilire contendunt. Quum Ordines hiſce rationibus, & quæ ſuper tali negotio plura dici poterant, non acquieſcerent, Audientiarius dierum IV dilationem petijt, intra quod ſpatium dominos ſuos de tota re certiores redderet, ut reſponſum ad eas difficultates habere poſſet. Id haud gravate ipſi conceſſum. Poſtridie Kal. Auguſti literæ Archiducum exhibitæ ſunt Ordinum conſeſſui, quibus Sereniſſimi Principes perſuadere conabantur approbationem ex Hiſpania allatam recte & ordine conceptam videri, ratamque eſſe oportere, nec nodum in ſcripto quærendum. Sibi tamen curæ fuiſſe, ut ad Regem eo nomine perſcriberetur, quo ipſis abunde ſatisfieret, & ne quid amplius obtendi poſſet unde negotiatio pacis aut induciarum ulterius prolataretur. Interea rogabant ut naves quæ oram Hiſpanicæ regionis infeſtabant edicto Ordinum revocarentur, id ſibi futurum fidum pignus amicæ erga ſe voluntatis, & non averſæ a ſtudio pacis. Dies aliquot ſedendo deliberandoque conſumpti ſunt. Tandem ex conſilij ſententia decretum fuit, actum ratihabitionis imperfectum, multiſque neceſſarijs partibus defectum ac mancum videri. Vitium eſſe non in forma tantum propter omiſsionem ſolennium: ſed in contextu ipſo conceptuque verborum, quod nomen Philippi non eſſet ſubſcriptum, ſed ſolus Regis titulus, quaſi ad ſubiectos populos ſcriberet, ut imperata exequerentur, quod ibi ſigillum maius non extaret, ſed minuſculum, quaſi de lana caprina certamen foret, ac non de ſanciendo ſtatu liberi populi. Sed hæc utcunque ſpecioſis coloribus ob-

cIↄ Iↄ c VII,

volvi poterant, illud nullam videbatur admittere excuſationem, quod Archiducibus tribuebatur nomen dominorum, & proprietariorum univerſæ Belgarum ditionis. Quid enim aliud inde elici, quã ut unitæ Provinciæ habeantur pro acceſſione & appendice Hiſpanicæ dominationis? Quid magis pugnare cum animo reſignandi quæcunque jura ſibi vindicavit olim Auſtriaca domus in haſce fœderatas regiones? Nimis inſolenter illudi, non dicam civibus ad libertatem provocantibus, ſed hominibus communi ſenſu præditis, ſi quis eiuſmodi Solœciſmorum notam transferat in tabellionum imperitiam aut negligentiam. Conſilio non caſu tanta peccari, non a plebeijs, ſed a dictatoribus, quorum fide ac prudentia mens manuſque Regis gubernatur. Nec hoc erratum ad fortunam aut humanam fragilitatem relegari poſſe, niſi ab ijs in quorum pectore non eſt mica ſalis aut rectæ rationis, quod nuſquam unitæ Provinciæ nominantur tanquam liber populus ſuis legibus ſuiſque moribus vivens, nec ullum agnoſcens dominum. Id quod erat rei gerendæ caput, & in quo cardine tota cauſa vertebatur. Quibus incommodis ut obveniretur, illuſtriſſimi Ordines tradiderunt Audientiario formulas concipiendæ ratihabitionis triplici ſermone conſcriptas, Latino, Gallico, Belgicoque, unius eiuſdemque ſententiæ, quas cupiebant eſſe velut legitimum ſacramentum, in cujus verba Rex fidem ſuam obligaret. Interea ne gratiam & benevolentiam Archiducum adſpernari viderentur, edixerunt Ordines ſe revocaturos eſſe naves, quæ circa fines Hiſpaniarum inſidiabantur occaſionibus, & piratarum loco habituros, ſi quis illic intra ſeſquimenſem a IX Kal. Sextileis hoſtile quidquam admiſiſſet, curaturoſque ut præda reſtitueretur. Sed quod antea conditionem tulerant, ut intra Kal. Septembreis initium fieret de pace aut longis inducijs utrinq; deliberandi, id non poſſe effectum dari priuſquã ex Hiſpanijs adveniſſent literæ ratihabitionis, & renuntiationis Regiæ ad eum modum

cujus

cuius formulam conceperant. Antequam miſſionem obtineret Audientiarius, prætereundum non eſt ſilentio quæ verba facta ſunt ab Advocato Hollandiæ Iohanne ab Oldenbarnevelt, cuius nomen ſæpe jam commemoratum notum eſt Eois & Heſperijs. Is gravi oratione, ut eſt fandi ſummus artifex, incuſavit præpoſteram, & ſplendide ſordidam rationem patris Ney, quod largitionibus & ingentibus jacturis, tanquam illitis hamo cibis, & opertis præda laqueis ineſcare conatus eſſet eos, quorum fidelitati commiſſa erant arcana dominationis. Id non videri factum niſi ex occulto mandatu, & authoritate Archiducum. Neque enim fratri paupertatis gloriam affectanti, cujus præcipuum votum eſt nihil poſſidere, pecuniam non attingere, tantas adeſſe copias & facultates, ut de ſuo largiri queat unde publicæ mentis arcanorum depoſitarij corrumpi queant, ut enuntient quæ ſacri ſilentij horrore obſignanda ſunt. Rogabanturque obnixe Sereniſſimi Archiduces, ut quantum ipſis cordi eſſet pacificationis negotiatio cum civibus qui ſe libertate dignos iudicarent, ne eiuſcemodi nundinationes inſtituere in poſterum vellent, alioqui ſeveriter animadverſum iri in eos, qui ſe talibus viſcatis muneribus deliniri paterentur, cuiuſcunque ordinis & dignitatis eſſent. Non minus turpe eſſe pacem pretio & largitionibus redimere, quam Pyrrhus ille Rex Epirotarum, alioqui dedecorum pretioſus emptor, indignum genere Æacidarum cenſebat bellum cauponari. Nunquam fore fideles externis, qui ſe pecunia corrumpi ſinerent, ut ſuis infideles eſſent. Fruſtra quoque has artes tentari in tanta multitudine eorum, qui rebus gerendis præficerentur. Nam nec ſingulorum cupiditates ullis copijs exſatiari poſſe, nec tanta ſtudia ſequutura paucorum, quibus manus inunctæ ſint, quanta plurimorum odia, qui ſe præteritos eſſe ob abſtinentiæ opinionem cum offenſione gaudebunt, vel ob avaritiæ ſordes indignabuntur. Hinc legitimam cauſam præbitum iri Ordinibus, ne ulterius in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſuſcepto negotio progredi velint. Commode quidẽ cecidiſſe, quod hamata dona fratris obtigiſſent viro notæ probitatis & abſtinentiæ, qui protinus indicium ad principes hujus Reip. adminiſtros detulerit, ſed communis boni cauſa cavendum ne quid ſimile in poſterum tentetur. Multa enim ſunt hujuſmodi, quæ ſi in homine aliquo non habuerunt efficaciam labefactandi loco fidem & conſtantiam unius, tamẽ ſemel propoſita ſpe impunitatis, quæ maxima eſt illecebra ad peccandum, præſertim ubi ingentis cõmodi fulgor animos perſtringit, ſerpit contagio latius, & perniciosum in remp. exemplum introducitur. Audientiarius omni ope conſilioque ſtuduit ab hac ſuſpicione vindicare ſuos Principes, nec id publica authoritate factũ eſſe, ſed privata calliditate patris Ney, qui (ut eſt plerumque avidum arq; avarum genus hominum Eccleſiaſticorum) alios ex ſuo ſuorumque genio metiens, in animum induxiſſet interdum prava remedia non inutiliter adhiberi, ut honeſtum & laudabile propoſitum ſecundo exitu terminari poſſit. Conſilia debere aptari temporibus, nec ſemper ex uſu eſſe illud ad laudem cum virtute directum iter, cui mores ſeculi pares non ſunt. Nemo unquam fuit infenſior hoſtis ambitus quam Cato, nemo retinentior antiquæ ſeveritatis, ut non immerito viva virtutum imago appellaretur. Is tamen quum adverſus factionẽ C. Iulij Cæſaris per centurias pecunia pronuntiaretur, non abnegavit eam largitionem ex rep. fieri. Honeſta oratio viſa eſt, ſed cui major dignitas aderat, quam fides. Quis enim niſi animi vecors crederet (ſicut ante ratiocinabamur) profeſſum divitiarum hoſtem, & mendicitatis patronum, tantis opibus ac facultatibus abundare, ut cenſum prouinciæ elargiri poſset ad expugnandas mentes eorum, qui gratia & authoritate plurimum poterant, quique arcana interioris conſilij penitus noſſe credebantur? Poſtea quoque cognitum eſt a Marchionis Spinolæ Oceano rivum iſtum defluxiſſe. Itaque vulgi rumoribus multum

tum diuque exagitata res eſt, nec urbanioris notæ homines ſecundam famam ſpargebant de non nemine, quem Advocatus provinciæ ſatis excuſaverat apud benignos humanæ fragilitatis æſtimatores. Nam quum ante contactum mammonæ iniquitatis rem ad primarios viros detulerat, ſatis conſcientiam ſuam exoneraſſe videbatur, imo ſpecimen edidiſſe continentiæ & fidelitatis. Etenim ſi dapis appetens fuiſſet, & fugitans rixæ atque invidiæ, quidni tacitus paſci potuiſſet, ut corvus ille Horatianus? Nam ut alto vultu reijciantur dona nocentium, & ut oculo irretorto ſpectentur ingentes acervi, diſciplina noſtrorum temporum non eſt capax tam rigidæ ſeveritatis. Difficile tamen eſt imperare linguis, & imperitiſſimorum iudicia cohibere, qui dono libertatis abutuntur ad effrænem licentiam, & ſine populi ſuffragio cenſuram in ſuos rectores exercere non verentur. Quum hæc ad eum modum gererentur, & negotium iſtud magnæ molis, ut aſſolet, lento gradu procederet, varij ſermones paſſim iactabantur, non ſolum apud Belgas, theatrum huic fabulæ peragendæ deſtinatum, ſed etiam apud exteras gentes, atque adeo per omnes fere terrarum populos non crebrior ulla diſserendi materia curioſis hominibus offerebatur. Qui vires & potentiam Regis Hiſpaniarum ſeria æſtimatione perpendebant, quique typhum ac ſuperbiam gentis noſſe putabantur, nullo pacto adduci poterant, ut crederent dominum tam longe lateque imperantem maieſtatis ſuæ faſces eo humilitatis ſubmiſſurum, ut cum ijs quos a primordio belli ſemper pro rebellibus habuiſſet, ea conditione paciſceretur, qua principes ſolent cum libero populo, nullis ultra legibus, quam ſpe novorum fœderum ſecum devincto. Nimis manifeſtam fore imbecillitatis denudationem, ſi ad tam degenerem & abiectam conventionem delaberetur. Fruſtra igitur eſse, vanæque credulitatis palpo lactari eorum mentes, qui promiſsam illam

rati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ratihabitionem, nedum renuntiationem ab Heſperia venturam ante Kalendas Græcas imaginarentur. Hoc agi, ut iniecta mentione pacis aut induciarum, animi civium relangueſcant, & ab ardore propugnandæ libertatis, famæ ac religionis ad ſpem falſam fallacemque traducantur fruendi aliquando tranquilliore ſtatu. Diſſerebatur contra, Regem Hiſpaniarum eſſe illum quidem Regum omnium facile principem amplitudine tractuque immenſo terrarum ac regionum quibus dominatur, ut ijſdem pene metis ac finibus ditiones eius, quibus ſolis curſus, terminentur. Sed recte æſtimantibus hoc ipſo videri imbecilliorem, quod ſit nimis vaſtum & ingens corpus, diffuſum in partes varias, lociſque ſejunctas, ut ſe toto uti non poſſit. Omnem poteſtatem quæ modum ſupergreditur, etiamſi externa vis abſit, ſua mole collabi, ſuiſque viribus fatiſcere. Pleraſque gentes quæ imperio eius reguntur, non liberalitate & clementia contineri in obſequio, ſed vi & terrore compeſci, quæ ſunt infirma vincula diuturnitatis. Non in caſtellis, aut propugnaculis arcem Majeſtatis collocari oportere, ſed in domicilio animorum. Nec ſpatijs, & latifundijs regnorum ac regionum veram magnitudinem ac potentiam eſſe metiendam, ſed fide, benevolentia, veneratione ſubditorum. Hanc regiam eſſe gazam, hunc pretioſiſſimum regni theſaurum, qui nec ab India ſubvehitur, nec auro Philippeo parari poteſt. Non abſque provida mente Cæſarem Auguſtum poſt diuturnam regnandi experientiam agitaſſe de imperio intra terminos coercendo. Neque enim minor eſt virtus partas opes conſervare, quàm ſemper inhiare rebus novis, ad inſtar Tantali egentis inter effuſam copiam, ſitientis in medijs aquis, & eſurientis inter exſtructas regali luxu dapes. Abunde jam patefactum eſſe, quantis urgeatur incommodis ac difficultatibus Rex ille cæteroqui potentiſſimus, quod quum tot jam annis labentibus una cum gente continenter belllum geſſerit, nihil aliud immenſis ſumptibus, & vix

credibili

credibili profuſione humani ſanguinis aſſecutus eſt, quam ut palam fieret id verum eſſe quod exemplo Privernatum impulſus effatur communiter Senatus Romanus, neminem populum diutius quam expediat, in ea conditione permanſurum cuius eum pœniteat. Satis animi, ſatis virium ſuppetere ad ſe defendendum miſeris & fortibus viris, quum graviora ſunt quæ patiuntur, quàm quæ formidare poſſint. Ea ſorte ſunt cives qui pro libertate dimicant, quibus decretum eſt omnia potius extrema pati, quàm ut ſubire velint jugum acerbæ ſervitutis. Iam exhauſtum eſſe ſumptibus ærarium, conſumptam fidem, nec ſupereſſe ſpem promptam ac paratam unde iactura reſarciatur, bellum ſine pecunia geri non poſſe, quemadmodum corpora ſine nervis ambulandi facultate deſtituuntur. Idcirco minime mirum, nedum incredibile videri debere, ſi Rex Hiſpaniarum ſuadente utilitate, vel cogentibus rerum anguſtijs ingentes animos remittat, eoque ſe perduci patiatur ut obſecundet temporibus, ut, quod in graviſſimis tempeſtatibus periti gubernatores facere ſolent quum reflantibus ventis rectum curſum tenere nequeunt, obliqua velificatione tandem quo velit pervenire queat. Non enim eſſe inconſtantis, ſententiam velut navigium aliquod, ex regni aut reip. tempeſtate moderari. Sunt enim reges, & rerump. adminiſtri in ea ſtatione collocati, tanquam in ſpecula & liberali cuſtodia, ut invigilent communibus bonis, & quum aliqua vis major ingruit, eam deligere partem debent, ad quam eos convertit inclinatio temporum, ratio concordiæ, ſalus populi, quam ſemper pro ſuprema lege & optimo more cenſeri oportet. Nec verendam eſſe ullam inde Majeſtatis imminutionem, quæ nunquam deprimitur, niſi quum vitijs contaminatur, aut ſeſe turpi aliqua & inhoneſta conventione devincit. Hanc autem pactionem vel obtentu neceſſitatis excuſandam, quæ magnum eſt patrocinium humanæ imbecillitatis, vel ſpe redimendæ pacis laudibus dignã videri judicio

D recte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

recte ſentientium, qui ſciunt potentiam non eſſe ſitam in ampullis ſeſquipedalium titulorum , ſed in ſolida magnitudine quæ ſuis viribus opibuſque communitur. Qui altius volunt videri penetrare intimos receſſus conſiliorum , etiam illud cogitant, iura Majeſtatis nec lapſu annorum, nec ulla conventione præſcribi poſſe, quin pateat regreſſus ad pœnitentiam, & reſtitutio in integrum, ſi non beneficio Prætoris aut reſcripto Cæſaris, ſaltem ea lege quæ apud potentiores ſacroſancta habetur, ut in ſumma fortuna id æquius melius cēſeatur, quod ſit validius, & quod aliqua ſpecie rationis incruſtari poſſit. Infirma fidei vincula ſunt literæ magnificis pollicitationibus, & reſignationibus refertæ cum ſubſcriptione manus regię, & ibidē appenſo maiore ſigillo, niſi mens compoſita ſit ad pacta conventa regie religioſeque cuſtodienda. Nihil eſt iurejurando ſanctius apud eos qui Deum ultorē perfidiæ credunt ac reverētur, ſed quā multi ſunt qui periurijs ludunt ut pueri aſtragalis? quibus ſacramēta ſunt tanquam everricula omnium malitiarum? Huc accedit quod multorum iuris authorū conſenſu firmata opinio eſt, nullam ratam eſſe conventionem inter principem & ſubditos, qui adverſus eum arma ſumpſerunt, niſi ea lege ut in obſequij viam revertantur, & pænitentia clementiā eius elicere ac demereri malint, quam iniquis, & per vim extortis pactionibus animū exacerbare. Nec immutat rei naturam, aut legis vim elidit proteſtatio contraria actui, quā aiunt pragmatici homines nihil operari, nulliuſque eſſe momenti. Quæ quum vera ſint, aut ad veri ſimilitudinem proxime accedant, labantem Regis animum haud difficulter impelli poſſe, ne largiri gravetur hoſtibus jam in poſſeſſione conſtitutis prædictam ratihabitionem & reſignationē, nomina verbis ſpecioſa, rebus inania, quæ donatori nihil auferunt præter evanidos atq; inutiles titulorum fumos, & adverſariis nihil tribuunt præter invidioſam honoris laciniā, & inſignia ſumptuoſæ dignitatis. Id hoc rerū articulo facilius impetratum iri, quod
non

non optimo loco erant res rationeſq; tum Archiducum,tum ipſius Regis Hiſpaniarum. Nam præter eas incommoditates, quas paulo ante retulimus,vehementer infeſtabantur a ſeditioſis militibus non ſolum Archiducũ ditiones, verum etiam Eburonum ager,& Iuliacenſis Ducatus, aliaq; loca finitima, niſi imperatam pecuniam repræſentarent, ruinis & incendijs agri vaſtabantur,cædibus etiam in miſeros ſęviebatur,multiq; ſeſe deſertoribus adiungebãt,qui direptionibus,minis, cõcuſſionibus omnia late territabant,quos neceſſe erai aut placare præſentibus nummis,aut vi & armis debellare. Sed alterum fieri non poterat ob rei pecuniariæ anguſtias,alterũ cum periculo coniunctum eſſe videbatur ne latius contagio ſerperet,& miles detractaret certamẽ ubi ad manus ventũ foret. Habebant enim in Archiducum caſtris turbidi milites ſuas manus, multiq; tacitis votis incœpta eorum fovebãt,& eventum ſpeculabantur,conſiilium atq; animos ex ſucceſſu ſumpturi. Nec exile momentũ ad perſuadendumRegi Hiſpaniarum ne quidquã denegaſſe velletArchiducum poſtulatis ac deſiderijs,allatura videbatur inſignis illa victoria navalis,quã magnanimus heros Iacobus ab Heemskercke reportarat ex claſſe regia,quæ Gaditanum fretum innatabat,niſi fortunã eiuſce diei obnubilaſſet cædes ipſius ducis,qui fortiſſime dimicando ob patriam ſuis triſte deſiderium reliquit,ſibi gloriam immortalẽ morte quæſivit. Si nihil aliud actum eſſet eo prælio,ſaltem illud planum factũ eſt,quod minime pro nihilo putari debet,Hiſpanã claſſem quæ iudicio multorum inſuperabilis putabatur,etiam ſub patriæ mœnibus ante oculos ſuorum potuiſſe vinci. Adde quod paſſim naves Ordinum circumſiſtebant oras Hiſpanici maris,unde aſsidua cauſa terroris ſupra caput erat,nec leve impedimentum obijciebatur, quominus Hiſpana claſſis e portu ſolvere auderet ad ſuſcipiẽdas longinquas navigationes,unde auream meſſẽ metunt,robur ac munimentũ Ibericæ potentiæ ac dominationis. Hollandi enim non ſolum regias naves de-

prædabantur, quum occaſio ad eam rem ferebat, ſed claſſibus omni apparatu virorum armorumque & commeatu munitiſſimis negotiabãtur cum Auroræ populis, unde ignota vis aromatum aliarumque mercium devehebatur, non ſine ingenti detrimento copiarum atque opum Philippicarum. Adde quod ditiſſimi mercatores unitarum Provinciarum, per illa tempora ſub auſpicio & fide illuſtriſſimorum Ordinum inierant ſocietatem, & conſilium ceperant de inſtauranda præpotẽti claſſe, qua navigaretur ad novi orbis incolas, eamque Indiam quæ ſpectat occaſum ſolem, ut, ſi fieri poſſet, interciperent immenſos auri argentique proventus, quos inde Rex Philippus regnumque eius percipere conſuevit. Hoc incœptum ſi proſper eventus ſecundaret, quorſum res evaſura eſſet, facile cuivis conſiderato liquere poteſt. Poſtremo iſtud venire poterat in mentem ijs qui conſilium Regis participant, ſi ita ferret ſors infeſtior, ut Ordinibus veniendum eſſet ſub ditionem ac poteſtatem alicuius domini, potius eos ſeſe Regi Galliarum aut Magnæ Britanniæ dedituros, quam ut ad priſtinos Principes reverti cuperent, Nullam enim eſse ſpem fidæ recõciliationis cum ijs quos tam implacabiliter offenderunt. Quippe natura inſitum eſt humanis ingenijs odiſſe quem læſeris. Nec facile unquam perſuadebitur ijs qui ſemel jugum excuſserunt, memoriam talium offenſarum bona fide deleri poſse. Manent hæc repoſita ſub alto pectore, nec magnates unquam iniuriarũ obliviſcuntur, quamvis iram ad tempus taciti concoquant ne profeſsa odia perdant vindictæ occaſionem. His & ſimilibus conjecturis, rationibus, & argumentis movebantur pleriq; haud incallidi morum ac temporum, ut crederent Philippum Regia ſublimitate deſpecturum hanc imaginariam contumeliam, nec quidquam deceſsurum faſtigio Majeſtatis, ſi quæcunque poſtulabantur ab Ordinibus, & jam conceſsa erant ab Archiducibus, fortem animum tolerare juſſiſset, eaque omnia ſuffragio ſuę authoritatis com-

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

probaſset. Ex adverſo multa proponebantur, quamobrem non videretur eſse ex uſu commodoque unitarum Prouinciarum ullam pacis conventionem admittere. Non enim alio conſilio ſpecioſum iſtud nomen obtendi, quam ut delinitæ civium mentes amore otij & tranquillioris ſtatus, tanquam deguſtata loto, exuerent paulatim reipublicæ deſiderium, & cum veteribus dominis in gratiam redirent. Hunc eſſe genium Belgarum, ut nec totam libertatem, nec totam ſervitutem pati poſſint. Alioqui nulla gens unquam majori obſervantia coluit ſuos Principes, quamdiu clementię & manſuetudinis artificio clavum imperij temperaverunt. Si quis ab ultima origine velit exquirere cauſas armorum, quæ ſumpta ſunt contra Regem Philippum II, præter ineluctabilē vim fatorum, & arcana conſilia divinæ providentiæ, quibus evolvendis impar eſt humana fragilitas, inveniet præcipuam mali labem fluxiſſe ex impotenti dominatu Ducis Albani, & aliorum qui ſub prætextu regiæ authoritatis immiſericorditer ſeſe geſſerunt erga cives natos ad humanitatis cultum, & mitioribus imperijs aſſuetos. Longius a propoſito evagareretur oratio noſtra, ſi principia motuum Belgicorum ſigillatim coner expromere: ſed hoc extra controverſiam ponendum eſſe arbitror, non alio fonte derivatam originem omnium malorum, quam ab intolerabili ſævitia Buſiridis iſtius Albani, qui civibus ingenuis uſus eſt, tanquam mancipijs bellica vi oppreſſis ac ſubiugatis. Quod ſi ex eo tempore, quo tam inclementer graſſata eſt eiuſmodi clades & calamitas, adhibita fuiſſent fomenta lenitatis & benevolentiæ, rediſſet ilico reverentia & obſequium, quemadmodum exigui pulveris jactu conſidunt apum certamina. Nam ut irritabiles ſunt animi bonorum, ſic levi momento placari poſſunt. Sed nihil fuiſset præſentius atque efficacius ad abolendas penitus omnes offenſas, quam ſi Rex ipſe in haſce regiones venire dignatus eſset, ut quaſi exortum ſolis jubar vultu conſpectuque ſuo lucem patriæ redonaret, ac nubem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

mentibus detergeret. Nec hoc neſcivit provida mens Philippi, ſed dum nimis ſecuritati conſulitur, ne Regem obiectare periculis viderentur, elapſa eſt e manibus occaſio rei bene gerendæ. Permittere debet aliquid fortunæ, qui ad præclaras actiones accingitur. Non enim fit ſine periculo facinus magnū & memorabile. Carolus V. parens eius exiguo ſtipante comitatu, per reconciliati hoſtis fines iter facere non dubitavit, ut unius urbis tumultum præſentia ſua componeret: quemadmodum olim Auguſtus Actiacas legiones ſeditionem meditãtes ſolo adſpectu, & majeſtate vultus compeſcuiſſe traditur. Quanto gravior cauſa hortari debuit filium, ut paternū exemplum ſequi vellet, quum univerſum prope Belgium quaſi ab imis ſedibus concuſſum eſſet, & fatali quodã inſtinctu concitaretur? Sed aliter Deo placitum, *in cuius manu eſt cor Regis ſicut diviſiones aquarum, quocunque volet inclinabit illud. Is eſt qui regna transfert de gente ad gentē, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Sicuti Socrates exſecrari ſolebat eos, qui primi honeſtatē ab utilitate ſejunxiſſent, res inter ſe naturali conſortio & ſocietate devinctas, quã opinionē aiebat eſſe cauſam omnium incomodorū quibus humana vita infeſtaretur: ita iure poſſumus accuſare graviſſimi erroris eorum inſanientē ſapientiam, qui leges civilis prudentiæ a recta conſcientia, & a pietatis officio divellere ac ſegregare ſtuduerunt. Quidquid dicant aut ſentiant Philoſophi vel Politici de ortu & interitu regnorum, civitatum aut rerum publicarum: Deus eſt qui ſupra nos negotium curat, cuius verbum manet in æternum. Rex dum violentis conſilijs obtemperat, & ab innata bonitate deſciſcit, eo florem patrimonij ſui redegit, ut penè unanimi Chriſtianarū gentium ſuffragio cauſa cecidiſſe optimo iure cenſeatur. Nunc ita pleriſq; perſuaſum eſt, Provincias unitas quamdiu conſpirantibus animis in commune bonum conſulent, & cõcordiam inter ſe colent, nunquã vel ægre admodum ſub cuiuſquam externi principis legem venturas, niſi

Prov. 21. c.
Eccle. 10. c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſuis ipſę vitijs atque inteſtinis ſeditionibus collidantur, diſcordiq; libertate laſciviant, quæ tanquã gladius eſt in manu furioſi, niſi moderate homines, ac temperanter ea utantur. Contentionum autem ac diſſidiorum ſemina non poſſunt aptius in turbam ſpargi, quam per illecebras pacis aut induciarum. Nulla venena præſentius nocent, quam quæ ſapidiſsimis cibis admiſcentur. Piſces non caperentur hamo niſi eſcam morſu appeterent. Similiter nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quam quæ ſub plauſibili vocabulo tegitur, & cui popularitatis favor adblanditur. Non igitur fruſtra timentur inſidioſæ pacis mala, neu credulos Belgas induciæ inducant in fraudem ac tentationem. Nam quum bello contenditur, hoſtilis timor optimum eſt concordiæ vinculum, & cives in obedientia fideli continet, poſtquam remoto externo metu ſimultates exercere vacat, plerumque civitates opulentæ mutuis æmulationibus inter ſe confligunt, & patriæ vires in matris viſcera convertuntur. Qua ratione motus Scipio Naſica Catoni adverſabatur, & nolebat æmulam Imperij Romani Carthaginem exſcindi, veritus ne ſoluta metu civitas deliciis ac luxu virtutem antiquam effœminaret. Porro ſi tale quid exoriatur, quodnam erit mali remedium? cuius authoritate lites iſtæ & certamina dirimentur? Huc accedit quod per pacis conditiones neceſſe erit exauthorari maximam partem militum, urbes pleraſque præſidijs nudari, ceſſabunt contributiones a neutrarum partium ſequutoribus ſolvi ſolitæ ad redimendum ne quid hoſtile patiantur. Nec erit color cur aliter fiat, præſertim ſi id ab Archiducibus indulgeatur. Nulli porro facilius opprimuntur quam qui nil timent, aut qui imparati ſunt ad reſiſtendum. Quibus autem ſubſidijs aut opibus tuebuntur unitæ Provinciæ maris poſſeſſionem, quod caput eſt ipſorum potentiæ ac magnitudinis, ſi portoria, ſi commeatus

non

non ſolvantur? Adhæc quibus ex aurifodinis eruetur unde publica nomina diſpungantur, ærario tot ſui partibus acciſo & imminuto? Nec dubium habebatur, quin res Batavorum mirũ in modum bello creviſſent, unde hoc ſaltem utilitatis perceperunt ut vires ſuas non ignorẽt, quod imperij arcanum evulgari minime Regibus ac Principibus acceptũ eſſe ſolet. Erant qui dicerent deguſtata ſemel pacis dulcedine Martiales illos ſpiritus enervatum iri, nec facile compelli poſſe, tametſi bellandi neceſſitas ingruat, ut iterum arma capere meditentur. Nec deerant qui ſe vereri ſimularent, ne ceſſante bello argentatis haſtis res gereretur, & donis ac promiſſis ſollicitaretur fides eorum qui ſedent ad clavum reip. quo more Rex Macedoniæ Philippus ex Apollinis oraculo pugnare juſsus eſt, inſidiaſque ſtruxit libertati Græcorum. Tales ultro citroque voces pro cujuſque captu, ſpe aut metu in ore famæ vagabantur: ſed omnibus probe ſubductis rationibus, in hanc ſententiam inclinabat optima pars eorum, qui rerum humanarum inſtabilitatem varietatemque fortunæ vereri didicere, ut exiſtimarent communiter expedire pacem fieri, aut ſaltem longi temporis miſſionem feſſis concedi. Satis enim eſſe magna utrinque accepta incommoda, quibus æquum eſset admoneri bene præparatas mentes, ne ultro oblatam finiendi ærumnarum occaſionem adſpernarentur. Non eſſe exſpectandam ultimam neceſſitatem ut atrati pacem petant, quemadmodum orator Demades de Athenienſibus intempeſtivo belligerandi ardore flagrantibus aiebat. Tunc videri tempus oportunum agendi de pace, quum adhuc uterque viribus ſuis fidit, & pares ambo videntur. Ipſis etiam qui victoriam in manibus habeant pacem non eſse abnuendam, nedum ijs qui tanto temporis ſpatio quaſi æquo Marte decertaſsent. Victoriam in ambiguo, pacem in arbitrio deliberantium ſitam eſse. Non oportere ſapientem ſpe incerta fallacique fructum præſentium commodorum repudiare, nec ſinere lubricam occaſionem e mani-
bus

bus elabi. Vitia & incommoda, quæ ex pacis infidæ palpo metuuntur, poſse prudentibus conſilijs caveri, concordiæ remedio ſanari, ſeveris legibus coërceri, & quæ ſimilia venire in mentem poterant ijs, qui non ſolum ea quæ ante pedes ſunt vident, ſed eminus proſpiciunt, & in longũ præſentiunt ea quæ veriſimili conjectura poſſunt evenire. Prudentiſſimus quiſque potius adverſos rerum caſus animo commentabitur, quam ſperabit ſecundos, ut ad eos avertendos adhibeatur præparatio diligens. Sed quia non eſt noſtri muneris aut inſtituti nimis philoſophari, ad ordinem narrationis redeamus. Dum ſuſpenſi hærent animi exſpectatione literarum ab Heſperia,
perfertur nuntius eas adveniſſe, *a* petitoq; & impetrato ab Or- a *Prid. eid. Octob.*
dinibus commeatu venerunt Hagam duo collegæ legationis cIↄ Iↄ
pater Ney & Audientiarius Verreyckẽ, quibns poſtridie quam c VII.
advenere Senatus eſt datus, *b* ibique perlectæ ſunt literæ, qua- b IX *Kal.*
rum hæc fuit ſumma. Primum declaratio Archiducum, & quæ *Novemb.*
fide ſua ſpoponderant Ordinibus ad verbum idiomate Hiſpanico tranſſcripta erant, quibus ſubijciebatur approbatio Regis ad hanc formulam. Poſtquam Sereniſsimi Archiduces fidem devinxerunt a nobis impetratum iri literas in forma ratihabitionis, conſenſus & declarationis (quemadmodum Ordines iam antea eas obtinuerunt a Sereniſsimis Archiducibus) cum clauſulis uſurpari ſolitis in actibus renuntiationum & obligationum. Nos poſt maturam deliberationem ex certa ſcientia, & liberrima voluntate, pro jure & imperio Regiæ poteſtatis conſentimus, nobiſque placet quatenus id noſtra intereſt, ut Sereniſsimi Archiduces efficiant quod promiſerunt, procurentque ſuo vel noſtro nomine præcipuum tractatum pacis aut induciarum cum Ordinibus, quos habemus pro regionibus, provincijs & populis liberis, in quos nihil juris prętendimus. Ratumque eſſe volumus & agnoſcimus, quidquid ſuperiore ſcripto Sereniſsimorum Archiducum continetur, id omne approbamus ſub fide & affirmatione Regia,

cupimuſque ad effectum perduci, tanquam ſi ab initio noſtra promiſſio, conſenſus & authoritas intervenißet, nec patiemur ut quidquam adverſus ea committatur. Quod ſi quid tale acciderit ſecuſve factum fuerit directe aut indirecte, pollicemur fore ut id reparetur, & in integrum reſtituatur. Fidemque regiam eo nomine obſtringimus, cum generalibus & particularibus clauſulis renuntiationum & obligationum: idque ſimulatque de pace vel inducijs conventum erit. Et quidquid neceſſarium videbitur ad ſtabiliendam conſervandamque ejuſmodi conventionem, id in meliori forma protinus expediendum curabimus, & ad Ordines mittemus. Quod ſi negotiatio pacis aut longi temporis induciarum non ſortiatur effectum, omnia nobis integra manebunt, & hæc ratihabitio nullius erit momenti, tanquam ſi a nobis nunquam profecta fuiſſet, nec Ordinibus ullum eo nomine ius competet rebus in priore ſtatu permanentibus. Quum hoc monumentum exhiberetur Ordinibus, pater Ney miris in cœlum laudibus extulit candorem & ingenuitatem Regis, animumque ſimplicem ac purum ab omni fraude & diſſimulatione, quod non de ſua unius ſententia negotium iſtud adminiſtraſſet, ſed re multum diuq; cum conſilio deliberata, ut æterna eſſet authoritas. quod ipſe mentis ſuæ interpres eſſet ſi quid ei humanitus accidiſſet, nec ulterius fidem ſuam obligari voluiſſet, quam quatenus re ipſa paratus erat exſequi. Quod ſi aliquid occultaret in receſſu pectoris, ſi quæreret ambages & effugia, ſi fucum facere credulis & improvidis mortalibus meditaretur, non tam anxie nec ſcrupuloſe de concipienda formula ſollicitus fuiſſet. Cur enim verba & voces denegaret, a quo impetrari potuit id quod erat ſupra ſpem contraque opinionem omnium, ut populum olim ſuæ ditioni ac poteſtati ſubiectum agnoſceret tanquam liberam Rempublicam? Quo plura dicebat vir diſertus, & inſigni fide erga ſuos Principes, eo magis ad pompam & oſtentationem

tationem compoſita verba videbantur, minuſque fidei obtinebant apud eos qui aulicis artibus inſueverant, & ingenia Hiſpanorum probe callebant. Nam ut humane concedi poſſet ipſam Regis perſonam regia magnanimitate, & ex ſincero cordis affectu rem factam cupere, quis crederet in eandem voluntatem ſerio conſpirare mentes conſiliariorum & adminiſtrorum eius, quos conſtat capitali odio, & prorſus inexpiabili cum Ordinibus diſſidere? Subſequutus eſt orationem patris Ney Audientiarius Verreycken, nec minus ſplendide ac magnifice deprædicavit ſinceritatem, clementiam & manſuetudinem Sereniſſimorum Archiducum, quam ſemper abhorruerint a cædibus, & civilibus diſcordijs, quam flagranti deſiderio inclinarint ad pacem. Cuius rei non eſſe quærendum aliunde illuſtrius exemplum, quam domeſticum, quod nulla neceſſitate coacti, niſi generoſæ voluntatis inſtinctu, tam prompta & propenſa facilitate indulſiſſent Ordinibus ea quibus nihil majus vovere poterāt poſt longam ſeriem calamitoſiſſimi belli. Nam ut legitima cauſa, vel ſaltē honeſtus color fuerit cur ſubditi gravibus ærumnis oppreſſi in dominos inſurrexerint, non eadem æquitatis ratio militabit ſi juſtæ conditiones pacis repudientur. Nihil enim aliud armis quæſitum, aut quæri oportere, quam ut tuto ac ſecure in pace vivatur. Prætextum belli fuiſse propugnationem capitis ac libertatis contra nimiam vim & ſævitiam regiorum præfectorum. Quod poſtea tentatis fruſtra multis remedijs ad hæc extrema ventum ſit, ut publico conſilio decerneretur Regem omni genere hoſtilitatis perſequendum civeſque ſacramento fidelitatis ſolutos videri, id eo pertinere ut ſua tueri debeant cum moderamento inculpatæ defenſionis, non autem ut aliena invadant cum maleficio & iniuria, niſi forte placet illud improbiſſimi cuiuſque facinoris emplaſtrum, nihil eſse iniquum quod cum utilitate & emolumento conjunctum ſit, nec honeſta a turpibus ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

vel natura, ſed uſu commodiſque diſtingui. Quanquam talia cum plauſu & favore influebant in animos ſimplicis turbæ, tamen Ordines pro communi ſalute ſolliciti omnia tuta timebant, nec adduci poterant ut rem ex animo bonaque fide geri perſuaſum haberent. Iuſtæ ſuſpicionis hæc erant indicia, quod regium diploma vitijs laboraret, tum in forma, tum in ipſo contextu. Primum quod non in membrana ſed in charta conſcriptū erat, quod non erat ſubſignatum nomen Philippi, ſed illud ſuperbæ inſcriptionis elogium Ego Rex. Sed iſta non erant magni momenti ad infirmandam inſtrumenti authoritatē, quum nulla ſubeſſet falſi ſuſpicio, nec quiſquam in dubium vocaret quin eſſet ipſiſſima Regis manus. Illud in argumentum fraudis trahebatur, quod literæ perperam negligenterq; ſcriptæ, multaque verba conſulto omiſſa erant, ſubſtitutis alijs quæ in ancipitem ſenſum torqueri poterant, & præbere fœcundam materiem calumniandi. Relatum eſt ea de re ad Legatos Galliarum Magnæq; Britanniæ, quorum de conſilij ſententia quæſiverunt Ordines ex patre Ney & Audientiario, num impetrari poſſet a Regia Majeſtate aliud inſtrumentum ratihabitionis, quod eſſet extra omnem exceptionis aleam, & careret eiuſcemodi defectibus, ad medendum ſupervacuæ fortaſſe, ſed non improbæ ſollicitudini eorum, qui pro collocanda in tuto libertate minimis etiam offendiculis commoverentur. Reſponſum eſt, non videri id ullo modo ſperandum, vel admodum ægre Regiam Majeſtatem exorari poſſe: verendū eſſe potius ſi ſaxum iſtud toties volveretur, ne Majeſtatis offenſam incurrerent, animumque eius exaſperarent: ſed ubi in rem præſentem ventum eſſet, & negotium pacis aut induciarum feliciter progredi cœpiſſet, tunc ſanatum iri quatenus in Rege ſitum erit, quidquid in animis ſcrupuloſorum hominū reſidere poteſt incōmodæ ſuſpicionis, aut vanæ ſollicitudinis. Cæterum ſatis ex illa ſyngrapha ratihabitionis planam & perſpicuam eſſe mentem ac voluntatem

Regis

Regis & Sereniſſimorum Archiducum, tum in genere, tum expreſſis diſertim articulis: nimirum eorum judicio Provincias unitas inſtar liberæ reip. populiq; ſuis legibus utentis fruentis haberi, in quos neutra pars quidquam juris ſibi vindicaret. Hanc illam eſſe Helenā pro qua tanta bella pugnata ſint. Denique ſi conveniri non poſſet de pace vel inducijs cum Rege Catholico & Sereniſsimis Archiducibus, abunde illis ſupereſſe virium, qui libertatē tueri poſsint, præſertim quum tot Regum, Principum ac Rerumpub. opibus auxilijſque ſuſtententur, quibuſcum fœdere & amicitia devincti ſunt. Deliberatio quid ſuper ea re ſtatuendum eſſet, per aliquot dies conſeſſum Ordinum occupatum tenuit, adhibitique ſunt in conſilium legati Regum, nec non & Princeps Mauricius. Tandem ad hunc fere modum reſponderi placuit, literas ratihabitionis non videri congruere cum promiſsis, nec reſpondere votis & exſpectationi Ordinum. Vitium eſſe non tantum in ſtilo, ſed in ſubſcriptionis modo, in inſertione & omiſſione quorundam verborum. Quod autem rei caput eſt, ex ultima clauſula poſſe elici, ſecundum ea quæ ipſe pater Ney non dubitaſſet proponere in Ordinum concilio, nullius plane momenti, & penitus irrita fore quæcunque Rex & Archiduces ſolenniter promiſiſſent ſuper agnitione libertatis unitarum Provinciarum, niſi negotiatio pacis, aut longarū belli feriarum rite ſuccederet. Quibus verbis aperte declaratur pendere ab incerto caſu & eventu conditionē civium, & Ordines cenſeri pro Statuliberis, quum Rex, Archiduces eorumque adminiſtri ſatis ſuperque compertum habeant proceres unitarum Provinciarum tanquam liberæ reipublicæ moderatores, qui præter Deum, neminem dominum agnoſcunt, fretos ope & auxilio divini Numinis, æquitate & juſtitia cauſæ, copijs atque opibus finitimorum quibuſcum fœdere iunguntur, tutari poſſe decus & gloriam, ſalutem & incolumitatem civium atque incolarum, quibus eos Deus præeſſe voluit, nec quidquam ex eo

III. Non. Novemb. CIƆ IƆ CVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

jure delibari, aut præflorari debere a Rege aut Archiducibus in negotiatione pacis aut induciarum, ſine nota fidei parum religioſe obſervatæ. Et quanquam eiuſcemodi ſcrupulus merito inijcere potuit ancipitem curam amplius deliberandi, utrum longius progrediendum eſſet nec ne: tamen ne quid in mora ſit quo minus tam pium & ſalutare opus inſtituatur, ſuſceptum ea ſpe ut hæ provinciæ quaſſatæ diuturnis bellorum procellis in placida ſtatione fidæ, ſtabilis & honeſtæ pacis conquieſcere poſſint, Ordinibus curæ erit ut ad urbes & provincias ſuæ fidei commiſſas mittantur exempla literarum Regis, quatenus authoritate ſua comprobat promiſſionem ab Archiducibus factam, & quatenus declarat ſibi placere ut ſuo nomine tractetur de pace aut inducijs cum Ordinibus, quos teſtatur ſe habere pro civibus liberis, in quos nullum jus vindicare præſumit, cum clauſulis renuntiationum & obligationum ibidem inſertis, ut intra ſeſquimenſem fieri poſſint certiores Legati Archiducum, utrum nihil obſtante hoc impedimento procedendum ſit ad ineundam pacis aut induciarum conventionem, nec ne: ſub expreſſa proteſtatione ſe nullo modo poſſe ratum habere, nec unquam habituros, quidquid in illis literis directe vel indirecte ſcriptum vel intellectum videri poteſt contra prædictam ratihabitionem, vel declarationem Regis, contraque pollicitationem Archiducum. Quod ſi conſultum eſſe judicabitur ulterius progredi ſuper inſtituto pacis aut induciarum tractatu, plane confidunt Ordines futurum, ut nihil ex parte vel Regis vel Archiducum proponatur, aut prætendatur contra promiſſi fidem, quod ullo modo ad immutandum præſentem ſtatum, & formam regiminis unitarum Provinciarum pertinere poſſit. Atque intra dies decem poſtquam certiores redditi fuerint Legati Archiducum de conſilij ſententia, ſperant Ordines miſſum iri Hagham viros abunde mandatis & authoritate inſtructos,

ut ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ut ex eorum relatu ſimpliciter & ingenue ſententiam Sereniſſimorum Principum perſpicere poſsint : utque ij viciſsim mentem ac voluntatem Ordinum intelligant, quo via muniatur ad facilem & expeditam rerum determinationem. Hoc ſi fiat, Ordines etiam ex parte ſua delegabunt idoneos homines munitos pari poteſtate, vel quæ negotio explicando ſufficere poſſe videbitur. Quum tale reſponſum Legatis Archiducum redderetur, interrogati ſunt an authenticum ratihabitionis Regiæ inſtrumentum Ordinibus tradere vellent, quod quum negarent ſe audere citra mandatum facere, ne quid ea res ſuſcepti negotij curſum retardaret, pater Ney vir actuoſus & efficax, temperandoque Reipub. clavo, quam clauſtro magis accommodus, ſuſcepit in ſe onus excurrendi Bruxellas, *Nonis Novembr.* confeſtimque ſe in viam dedit, ut quis ſuper ea re ſenſus eſſet Archiducum reſciſceret. Hagham reverſus ſignificat *XVIII. Kal. Decembr.* Ordinibus ſibi eſſe permiſſum ab Archiducibus ut autographum ipſis traderet, ſed ea conditione ut viciſſim ab ipſis ſyngrapham acciperet, qua declararent Archiduces promiſſionum fidem impleſſe, ſeque promitterent depoſitum reddituros, ſi negotiatio quæ præ manibus erat, non eſſet ſortita fœlicem eventum. Ea res non eſt viſa carere magnis difficultatibus. Nam neque fides Archiducum ſatis liberata videbatur, quandoquidem tam multa deſiderabantur & reprehendi poterant in iſto actu ratihabitionis, de quibus abunde antea diximus, nec Ordinibus placebat tanti myſterij depoſitum reſtitui, quo deſtruebatur eorum decus ac dignitas, ſi negotiatio inſtituta ſucceſſu caruiſset. Igitur pater Ney, homo cœleſtis naturæ quæ perpetuo motu gaudet, rurſus ad heros ſuos proficiſci *XV Kal. Decemb.* coactus eſt, rebuſque ex ſententia confectis redijt cum mandatis ut ſacrum illud imperij pignus ſine omni cura recipi- *III Kal. Decemb.* endæ cautionis, aut ſtipulandæ reſtitutionis Ordinibus

uten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Poſtrid. Kal' Decemb. utendum fruendum concrederet, quamdiu ſol & luna curſus ſuos obtinerent. His ita tranſactis ipſe & collega deceſſere ex unitis Provincijs, & ad ſuos reverſi ſunt exſpectabundi quid Ordines intra conſtitutum tempus decreturi eſſent. Eodem CIↃ IↃ C VII. anno ſub finem Novembris reverſi ſunt e Dania Iacobus Boulenius, Nicolaus Simonius, & Iacobus Magnus, tres viri Conſulares, magna cum laude fidei, prudentiæ & integritatis functi præclaris honoribus, addicti ſemper optimis partibus, & ſtrenui defenſores patriæ libertatis. Tertio poſtquam advenerunt die renuntiarunt legationē, intellectumq; eſt ipſos diligenter ac fideliter adminiſtraſſe munus curę ſuæ concreditū ac demandatum, itemque perhumaniter ac benigne exceptos fuiſſe a Rege, qui ſuam erga Provincias unitas ſingularem amicitiam ac benevolentiam multo cum honore teſtatus eſt, nullumque comitatis officium prætermiſit, ſeque propediem recepit miſſurum delectos regni viros, qui cum Ordinibus, cæteriſque Regum ac Procerum Legatis conſilia ſua conferrēt, ut publico Chriſtiani orbis bono cederet ſuſcepta pacis ſive induciarum negotiatio. Quum rerum geſtarum nuncius ad Cæſarem perlatus eſset Ordines cœpiſſe vias compoſitionis cum Rege Hiſpaniarum & Archiducibus, literas ad eos miſit, quarum hæc erat ſumma. *VII Eid. Octob.* Nemini obſcurum eſſe quantum curæ, ſollicitudinis atque ſumptuum pater ipſius Imperator Maximilianus impendiſset, ut Belgarum motibus finis imponeretur, & honeſta aliqua reconciliatio iniri poſset. Se paterni affectus heredem, eiuſque veſtigiis inſiſtentem perſeveraſse in eadem mente ac ſententia, quemadmodum planum & perſpicuum eſſet ex multis conventionibus, & legationibus quas talem ob cauſam inſtituiſſet. Quocirca haud iniuria mirum ſibi videri rem tantam non modo iniuſsu ſuo, ſed ſe prorſus inſcio atque inconſulto cœptam fuiſse, ut in reip. formam Provinciæ unitæ redigerentur, quum Ordines nequaquam ignorent, quin eæ Provinciæ ſint

feudum

feudum deductum a ſancto Imperio, quemadmodum ex ar-
chivis Imperij, ex actibus inveſtituræ, multiſque publicis mo-
numentis omni exceptione majoribus liquido apparet. Etiam
atque etiam conſiderandum eſſe Ordinibus, nihil in tali ne-
gotio tentari aut innovari poſſe abſque ſcientia, conſenſu &
authoritate Cæſaris, qui eſt caput, & ſupremus feudi dominus.
Quidquid igitur ſecus feciſſent, irritum nulliuſque momenti
fore, ſecundum ea quæ lege fidelitatis, & jure communi feu-
dorum ſanciuntur. Idcirco cupere ſe certiorem fieri quo lo-
co res ſita ſit, & quouſque jam eſſent progreſſi, ne quid ſuo ju-
ri fraudis fiat, neu quid imperij majeſtati detrahatur. Multi
haſce literas eo conſilio ſcriptas, & Ordinibus traditas fuiſſe
arbitrati ſunt, ut quandoque data occaſione prodeſſe poſſent
ad elevandam vim & authoritatem omnium quæ contra vel
in fraudem ejuſcemodi denuntiationis geſta eſſent. Poterat
etiam videri iſtud factũ non abſque conſilio & colluſione Re- *Poſtridie*
gis Catholici. Reſponſum eſt ab Ordinibus in hanc aut ſimi- *Kal. Ianua.*
lem ſententiam. Mirum ſibi videri Cæſarem nec a propinquo cIↃ IↃ C VIII.
ſuo Rege Hiſpaniarum, nec a germano fratre Alberto fa-
ctum fuiſſe certiorem de rebus quæ in Belgio gererentur.
Quod ſi ſciſſent, haud erant officio defuturi quin eum certio-
rem redderent. Hoc vero nemini eſſe ignarum, quin ſæpius
ab oppreſſis Hiſpana dominatione Belgis fruſtra imploratum
ſit auxilium imperij Cæſareæque Majeſtatis, etiam antequam
Archidux Matthias rebus adminiſtrandis præeſſe cœpiſſet.
Nec Cæſarem latere poterant quæ ſe authore & ſequeſtro ge- cIↃ IↃ
ſta eſſent Coloniæ Agrippinæ, quum tentarentur viæ recon- LXXIX.
ciliandi ſubditos cum Rege Hiſpaniarum. Nihil enim aliud
actum per imaginem ineundæ compoſitionis, quam ut tem-
pus redimeretur, interea præterfluebant rerum bene geren-
darum oportunitates, primaria nobilitas largitionibus ac pro-
miſſis labefactabatur per adminiſtros pacis, vel potius emiſ-
ſarios Hiſpanicæ factionis, urbes & provinciæ delinimentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

veniæ & abolitionis ſollicitabantur ad defectionem, complures ſenſim a communi cauſa dilabebantur, vulgus ab impetu generoſo propugnandæ libertatis ad ſpes falſas & fallaces inhiabat, fideles civium moderatores, quibus publica ſalus incumbebat, fictis criminationibus in odium & invidiam vocabantur, quod auream meſſem ex communibus miſerijs meterent, quod imperij dulcedine ſupra modum lætarentur, & immortale bellum cuperēt, quippe quibus nulla ſpes expediendæ ſalutis tuendęque dignitatis ſupereſſet, niſi in patriæ naufragio, & in rerum omnium perturbatione. Demulcebantur mentes omnibus illecebris & artificijs, quæ a verſutiſſimis ingenijs excogitari poſſunt, nemini præcluſam fore clementiæ aram, ſi quis fatendo culpam ad Regis benignitatē coufugere mallet, quam pertinacia & temeritate reſiſtendi provocare implacabilem ipſius iram, ſibique omnem reconciliationis ſpem præcludere. Numquam intempeſtivum eſſe regreſſum ad ſanam mentem, & optimum erranti portum patere mutationem conſilij in melius. Non eumdem fore animum Regis in remittendis offenſis, ſi hanc tam præclaram occaſionem neglexerint. Nunc nihil ab ipſo cupidius ambiri quam ignoſcendi gloriam, quam paciſci cum ſubditis ut in officij atque obſequij viam redeant, utque fida & æterna oblivione deleatur omnis memoria ſuperiorum culparum. Læſus ultro ad ſontes & noxios mittit, tanquam offenſus pater ad filios, ut pœnitendo culpam emendent, & in gratiam ſecum reverti velint. Nihil hactenus admiſſum quod venia & abolitione purgari non poſſit. Sin perſtent in amentia, & obſtinatum in rebellionis propoſito pectus gerant, omnia ſecum humanitatis commercia diremptum iri, nulliſque ultra precibus aut conditionibus regias aures pervias fore, cunctas ſcelerum pœnas ipſis eſſe exſpectandas, nihilque niſi ſævum, atrox, immiſericorſque cervicibus eorum imminere. Capeſſerent ergo pœnitentiæ portum,

adpel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

adpellerent ad bonæ ſpei caput, ſanarent offenſas officijs, componerent animos ad obſequium, ad Majeſtatis reverentiam, ad noxarum deprecationem. His artibus, his machinis perrumpendum eſt magnanimi Regis pectus, ut ſe expugnari volens patiatur. Aliter cogi non poteſt, & hæc vis illi grata erit, idemque ius Sanatibus eſto quod Fortibus. Principes heroica mente præditos aſſimilari fulminibus, quorum ea natura eſt ut cedenti materiæ parcant, obſtantia quæque perfringant, ac in pulverem convertant. Perquam indignum eſſe ſubditos ferociter inſurgere adverſus Principem ſibi fato datum, & eoſdem humiliter ſervire minutis tyrannionibus, qui in turbido capturam exercerent, & malo publico potentiam atque opes erant adepti. His & ſimilibus turbarum & ſeditionum incitamentis ſollicitabantur animi in illa pacificatione Colonienſi, cuius haud exiguum ſpecimen illud eſt, quod ex decem Legatis qui nomine Ordinum Belgicorum iſtuc venerant, quinque in adverſariorum partes conceſſerunt. Quibus rebus effectum eſt, ut nihil Ordines peius extimeſcendum eſſe arbitrarentur, quam omnem pacis mentionem. Cuius nomen ipſum dulce eſt, & res ipſa ſalutaris, nec adeo quiſquam ſenſum humanitatis exuit, quin pacem quam bellum malit, cui quid eligat integrum ſit. Sed ut nullæ ſunt inſidiæ capitaliores, quam quæ latent ſub velo pietatis, & ſanctiſsimarum neceſsitudinum: ſic maximum periculum imminet ab ijs fraudibus, quæ ſpecioſum illud pacis prætextum obtendunt. Tamen ut infenſi Regis animus omni devotionis & obſervantiæ ſignificatione mitigaretur, cuncta publice ſub regio nomine adminiſtrabantur, donec eventu compertum eſt nihil comitate & patientia profici, niſi ut implacabilius iraſceretur, lenibus fomentis morbum exaſperari, hebeſcere Ordinum authoritatem. fiduciam hoſtibus increſcere, amicorum animos debilitari. Quocirca fortioribus

 conſi-

conſilijs agendum, & propalam quaſi levato velo deſcenden-
VII *Kal. Sextil.* CIↃ IↃ LXXXI. dum in cauſam. Tandem igitur cogente ineluctabili telo ultimæ neceſſitatis ventum eſt ad illud extremi perfugij remedium, decretumque authoritate publica, quum ſatis ſuperque manifeſtum eſſet, fas omne divinum humanumque indignis modis ruptum eſſe ac violatum, jura maiorum, immunitates, privilegia Belgis conceſsa, quorum in verba iurant Principes quum imperij gubernaculo admoventur, expoſita contemptui ac ludibrio eorum, per quos maxime tutanda erant, nihil reliqui factum ad ſummam impotentiæ, rapacitatis, & violentiæ, ſævitum in corpora & conſcientias miſerorum civium, quumque omnia nequidquã tentata ſint remedia, quibus regium pectus moveri poſset ut tantis acerbitatibus & ærumnis mederi dignaretur, ad leniora conſilia mentem flecteret, officij religionem coleret, promiſſi fidem ſervaret, commune gentium ius ne adſpernaretur, tandem unanimi conſenſu, publico conſilio ſolennique decreto ſancitum eſt per Magiſtratum ſacroſanctis legibus armatũ, cuius curæ, fidei ac providentiæ concreditum eſt ingens patriæ depoſitum, ne quid reſp. capiat detrimenti, Regem ipſo jure excidiſſe dominio & proprietate Belgicarum provinciarum, civeſque & incolas nullis obſequij legibus ultra teneri, ſolutoſque eſſe omni ſacramento fidelitatis & reverentiæ, quam ſubditi Principibus ſuis debent. Quod quidem fieri licuiſſe nemo juris humani divinique conſultus negaverit, ſed potius omnes morum ac temporum gnari, ſerius quam oportuit factum eſſe aut mirabuntur, aut reprehendent. Hoc veluti noviſſimo jactu, quum omnis & ſpes, & voluntas redeundi in gratiam cum Rege præciſa eſſe videretur, tamen ſæpius quam ex uſu erat, pacificationis fucus, tanquam hamus in turbam conjectus eſt, nec ignorabantur inſidiæ, & quam fluxa, vel nulla potius ſperanda fides eſſet in Hiſpano, & Rege reconciliato, ſed tanti erat ultro decipi ne quid inexpertum ſpe potiundę pacis relictum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

eſſe videretur, præſertim cum ſe huic negotiationi interponerent maxime illuſtres perſonæ, quibus expediebat cauſæ publicæ juſtitiam & æquitatem vel probari, vel ſaltem non ignorari. Nunc vero quum toties ad haſce Sirenum cantilenas naufragium factum ſit, quis facilitatem Ordinum non damnet vecordis imprudentiæ, ſi deinceps ad eoſdem infames ſcopulos impingant atque obhæreſcant? Itaque non injuria ſurdis auribus pellaces iſtæ blanditiæ declinantur, ne vulpina pellis aſſuta leoninæ plus detrimenti adferat, quam ſi palam, & aperto Marte res gererentur. Ex eo tempore fœderatæ Provinciæ iudicio omnium, qui partium ſtudijs non abripiuntur, pro libera ſuique iuris ac mancipij rep. cenſeri cœperunt: multique Reges, Proceres ac populares ſtatus eodem illas honore dignati ſunt, quaſi neminem dominum agnoſcerent extra Deum, & liberam eligendi alterius Principis poteſtatem haberent. Quod & uſurpatum eſt in perſona Ducis Andegavenſium. Non alio titulo conventiones & fœdera pepigerunt Ordines cum Regibus & magnatibus, quorum opibus & ſubſidijs adiuti maximo cum diſcrimine bellum per tot annos tolerarunt. Quanquam autem conditionis & fortunæ non pœniteat, tamen ſæpius teſtati ſunt Ordines apud Cæſarem, & apud ipſos Belgas, qui vel ſponte incitati defecerant ad hoſtem, vel armis coacti a communi cauſa cæterorū erant diſtracti, quanto ſibi dolori eſſent clades & calamitates, quibus Belgium affictaretur ob lamentabile iſtud, & funeſtum ciuile bellum: nec quidquam ardentioribus votis exoptari, quam ut finem tot ærumnis adferat tuta, fida & honeſta pax, quæ ſola poteſt in ſolido locare ſalutem & fortunas civium qui tot infanda ſunt paſſi. Cuius boni potiundi non aliam eſse ſpem, quam ſi decretum iſtud inviolabiliter ſervetur, tanquam imperij tutela, tanquam columen & propugnaculum libertatis civium, tanquam aſylum publicæ ſecuritatis: nimirum ut Provinciæ unitæ pro repub. ſuis legibus utente, nulliuſque

dominio ſubiecta cenſeantur. Non enim Belgæ bello domiti venerunt in deditionem ut ſervirent, nec ſe unquam ſacramento obſtrinxerunt ſuis Principibus, tanquam dominis infinita poteſtate præditis, ſed ſub certis legibus & conventionibus, quæ mutuum obligationis vinculum conſtituunt inter Principem & ſubditos, ut ſi promiſſis ab una parte non ſtetur, nec Princeps officij admonitus in rectam viam reverti velit, Ordinum ſit rebus lapſis ſuccurrere, temporibus afflictis mederi, & juſtas civium preces non adſpernari. Neque tameu ad illa ultimæ neceſſitatis ſubſidia primo impetu decurſum eſt, ſed poſtquam malis defatigata patientia non aliud expediendæ ſalutis auxilium invenit. Omnia jura divina & humana ſuffragantur auſpicijs bellorum, quæ a Belgis geſta ſunt pro libertatis ſtatu, pro ſanguine redimendo, contra vim & violentiam impotentiſſimi dominatus. Nam ut fidei & religionis negotium ſeponatur, pro qua tot inſontes animæ, tot Chriſtiani cives infanda ſupplicia paſſi ſunt, & omnes ſcelerū pœnas conſumpſerunt, quæ juſtior belligerãdi cauſa exſiſtere poteſt apud cives ſorte & indole propenſos ad decus & gloriam, quã vim vipropulſare, quam pro vita, pro dulcibusnatis& coniugibus dimicare, quam a cervicibus avertere jugum intolerandæſervitutis, quæ magnanimis pectoribus omni morte ac ſupplicio gravior atq; acerbior eſſe dēbet? Cauſam ipſe Deus exercituum approbavit, qui tot inſignibus victorijs, tam admirandis ſucceſſibus beavit unitas Provincias, ut fato potius & miraculo, quam humanis opibus aut conſilijs tanta rerum proſperitas tribuenda eſſe videatur. Bellum iam tot annos geritur cum Rege tam late domino, tot imperante ditionibus ac populis, ut vix percenſendis omnium nominibus memoria eius ſufficere valeat: cuius immenſis terrarum tractibus comparatum herediolum unitarum Provinciarum vix puncti inſtar obtinet. Interim non tantum armis atque animis fortiter ſtant, ſed potentia

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

atque authoritate, copijs atque opibus ita abundant, ut omnibus terris atque gentibus admirabili ſint documento cœleſtis curæ ac providentiæ. Sed ne veteribus memoria repetendis immorari neceſſe ſit, quod nam illuſtrius ſpecimen adferri poteſt hoc recenti, quod Sereniſſimi Archiduces ultro per certos homines, ecqua ratio ineundæ pacis ac concordiæ reperiri poſſet, explorare non dubitarunt? Quod quidem abſit ut ex imbecillitate virium, aut timore factum eſſe credatur ab ijs qui nullam unquam tenuis atque infirmi animi ſignificationem dederunt. Sed tamen nemini dubium eſt, quin ſolidam & ſine exceptione victoriam, quam pacem malint, & quod primi tentarint vadum auſpicandæ compoſitionis, nonnullam ſuſpicandi occaſionem præbet eos opinari unitas Provincias vi armorum, & bellica virtute ſuperari non poſſe. Quum autem neutiquam ingenuis civibus convenire videretur vana ſpe lactare animos tam excelſorum Principum, Batavica ſimplicitate denunciatum eſt ijs qui ad explorandas mentes venerant, non prius, nec alia lege ullam mentionem pacis eſſe proponendam, quam ſi hoc decretum extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, unitas ſcilicet Provincias eſſe populum liberum, cui competant iura ſupremæ poteſtatis. Quod ubi pervenit ad aures Archiducum, miſſi ſunt ad Ordines, qui clam re cum paucis communicata, quorum gratia & authoritas plurimum poterat, ſignificarent Archiduces paratos eſſe tali conditione cum ipſis paciſci. Deinde ipſimet per obſignatas literas eandem voluntatem teſtificati ſunt, & ſpoponderunt fore ut intra tres menſes a Rege Hiſpaniarum acciperent acta ſimilis ratihabitionis & declarationis. Quæ deinceps ſequuta ſunt, ea quum ſint geſta in clara luce, frequentia & celebritate, Cæſar ignorare non potuit, ideoque non eſt neceſſe ut longiori ſermone tempora Majeſtatis eius onerentur.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Ad extremum ſpeciæ fiduciæ rogabant Ordines ut Cæſar pro conſueta benignitate & clementia in optimam partem interpretaretur quidquid eſſet geſtum. Hæc ſumma fuit reſponſionis ad literas Cæſaris. Præcipuam partem, & caput earum literarum, quo declarabat Cæſar nullius fore momenti, quicquid iniuſſo ſuo gereretur, ſilentio & diſsimulatione ttanſmiſerunt, non quin honorem & reverentiam deferrent Cæſareæ Majeſtati, ſed quum juſtis armorum vindicijs ſe in libertatem adſeruiſſent contra potentiſsimum totius terrarum orbis Monarcham, quumque difficillimis temporibus, & rebus in extremum adductis diſcrimen, Cæſaris opem fruſtra imploraſſent, cauſa non videbatur quamobrem ſe ſubditos & Vaſallos Imperij confiterentur. Interea gravibus curis exercebantur Archiduces ob ſeditioſorum militum inſolentiam, quibus aliter ſatisfieri non potuit, quam ſolutione ſtipendiorum addito edicto, quo venia & oblivione delebatut memoria omnis præteritarum offenſionū. Inde quia vires ſuas contemplatus miles animos ſumit, & facili momento ad exuendum obſequium impellitur, ut impediretur multitudinis conſenſus, & ne quid ſimile in poſterum fieret, placuit locorum ſpacijs ſegregari turbidos a contactu ſociorum, ne conſilia & vitia miſcerent. Et quanquam nihil novi criminis admiſerant ut durius in eos conſuleretur, tamen hærebat altis mentibus infixum contempti imperij vulnus, & exempli pernicies metuebatur ſi talia flagitia manerent impunita. Quocirca lex horrendi carminis in eos pronuntiata eſt, qua ſolvebantur ſacramento militari ſub hoc colore, quod nec Rex Hiſpaniarum, nec Archiduces ulla conventione, ant lege obligarentur quenquam diutins ſub ſignis retinere, quam tpſis viſum eſſet: jubebanturque intra XXIV horas excedere e finibus ſub pœna capitis, & cuivis permiſſum in eos, qui edicto non paruiſſent, hoſtiliter graſſari, promiſſa mercede XXIIII aureorum, ſi quis latitantem indicaſſet, aut vivū vel mortuum Magiſtra-

Pridie Non. Decemb.

Magiſtratui ſtitiſſet. Qua ſententia plerique varijs caſibus interierunt, multi crucibus affixi, cernebanturq; in celebribus vijs corpora ſuſpenſa ex arboribus, nulli parcebat ruſticorum ſævitia, ſi quis in eorum manus incidiſſet. Pauci admodum incolumes evaſerunt hanc calamitatem, nonnullis tamen e clade ſuperſtitibus perfugium fuit clementia Principis Mauricij, qui ipſis ſedem adſignavit uſurus eorum opera, ſi forte negotium pacis aut induciarũ non ſucceſſiſſet. Duo factionis duces Bruxellas perducti, & ibidem manu carnificis patibuli ſupplicio affecti ſunt. Circa eadem tempora rogatu & invitatu Ordinum venerunt Hagham Oratores Principum varijs ex locis, ut intereſſent iſti magnæ molis negotiationi. Miſſi a Rege Daniæ Iacobus ab Vleſelt vir proceritate corporis, *III Non. Decemb.* & forma digna imperio, ſed animi dotibus, linguarum peritia, doctrinæque ornamentis, & multiplici rerum uſu longe præſtantior. Cui adjunctus erat Ionas Chariſius juris Doctor, homo ſingulari humanitate & morum elegantia præditus, ut facile in amorem ſui pelliceret quicunque virtutem in pretio haberet. Aderat inſignis comitatus juvenum ex primaria nobilitate, temperatus modeſtia, & verecundia, quæ ætatem illam mirifice decebat. Auditi in Ordinum conſeſſu propenſum Regis in ipſos affectum, aliaque id genus ſolennia facunde *Poſtridie Non. Decembr.* diſſeruere, & quam ob cauſam veniſſent, nimirum ut ſociatis conſilijs darent operam ne Provinciæ unitæ ſpecie ſubdolæ pacis circumvenirentur, utque omnia publico bono cederent. Haud multo poſt venit ab Electore Brandeburgenſi Hieronymus a Diskay vir germanæ ingenuitatis, & ſine ulla ja- *XIV. Kal. Ianuar.* ctantia par gravibus negotijs, cui quod erat in mandatis datũ ut nihil publice inſtitueret, niſi adhibito in cõſilium Legato Electoris Palatini, ideo in eius adventum omnia ſeria diſtulit. Is erat Hippolytus a Collibus vir ingenij monumentis a fama notus, ſed longe magis æſtimandus ab ijs qui interiorem eius vitam norunt, & quibus propius ac familiarius intueri præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

claras hominis dotes contigit. Intellectum eſt ex his quæ ſupra retulimus, dimiſſos fuiſſe Archiducum legatos cum promiſſione futurum ut intra ſeſquimenſem fierent certiores de eo quod in Ordinum conventu decretum foret, an ſcilicet non ideo retardari oporteret ſuſceptam pacis aut induciarum negotiationem, quod literæ ratihabitionis non recte nec ordine conceptæ, ſed multis defectibus laborare viderentur. Nam de tam gravi negotio cenſuerunt Ordines amplius eſſe deliberandum, nec quidquam decernere ſuſtinuerant abſque diſerto conſenſu urbium & provinciarum. Dimiſſum erat eo nomine concilium extraordinariorum, ut conferrent cum ſuis, & conſultarent ſuper ea re, iuſſique ſunt redire intra menſem cum mãdatis, & ſcripto conceptis provinciarum opinionibus. Die condicta omnes adfuere. maxima pars conſpirabat in eam ſententiam, quamvis regium diploma varijs reprehenſionibus eſſet obnoxium, tamen progrediendum eſſe in inſtituto, ſub hac tamen lege nulli movenda, ut inconcuſſum, ſacroſanctum, & inviolabile maneat fundamentum patriæ libertatis, iuſque Majeſtatis quæſitum tot operum impenſis, tot vigilijs ac laboribus, denique tot præliis & cædibus hominum fortiſſimorum, qui pro ea mortem oppetere non dubitarunt. Tandem literas ad Archiduces mitti placuit, quibus declarabant Ordines ſub ea proteſtatione quam poſtridie Kal. Novembreis ſancierant, a qua ne latum quidem unguem demoveri vellent, ſe paratos eſſe venire in colloquium cum ijs quos viſum erit Archiducibus legare, ut de negotio pacis aut induciarum tractetur. Sed quoniam pactarũ in VIII menſes induciarum tempus exſpirabat pridie Non. Ianuarij, permittebant arbitrio Archiducum, ut expenderent an eas in menſem aut ſeſqui prorogari conſultum eſſe iudicarent. Iiſdem temporibus erant in Hollandia Legati Caroli Suecorum Regis, non ut conſilio, re aut opera iuvarent ea quæ tum ibi gerebantur, ſed ut militem conſcriberent ad bellum

IV Non. Novemb.

IX Kal. Ianuar.

bellum cum Polonis gerendum. Multi centuriones & milites Galli tædio quietis, & cupidine quærendæ laudis nomina dederunt ut in Sueciam traijcerent. Nonnulli in Galliam ſunt profecti ut ibi copias colligerent. Legati confectis negotijs quorum cauſa miſſi erant ad Regem ſuum redierunt. Hæc eo anno geſta ſunt tum circa conventionem induciarum in VIII menſes, tum circa ratihabitionis inſtrumenta, quibus ingens diuturni belli præmium ſanciebatur, ut unitæ Provinciæ ſuffragio & approbatione maximi Regum declararentur populus liber, ſuique iuris ac mancipij, nulliuſque Principis externi imperio ac dominationi ſubiectus. Magnis animis & contentionibus certatum eſt circa verborum aucupia, & ſenſuum ambiguitates. Non poteſt non laudari patria ſollicitudo eorum quibus publicæ dignitatis cura incumbit, quod libertatem civium munitam validis terra marique viribus, potentiſſimorum Regum & Principum amicitia, fœderibus, auxilijs atque opibus, comprobatam aſſenſu omnium quibus ſuſpecta eſt & formidoloſa Regis Hiſpaniarum longe lateque porrecta dominatio, firmari voluerint ipſius hoſtis, quondam domini ſui confeſſione, & formulis ad accuratiſſimam normam exactis, ne quid ſolennium deeſſet ſi forte coram iudice cauſa ſtatus in controverſiam veniret. Sed profecto nullum eſt infirmius ſtabilitatis vinculum, nec minus idoneus diuturnæ fidei ſponſor, quam pacta conventa quæ temporis cauſa conceduntur. Vehementer autem errat, ſi quis putat Reges affectu & benevolentia duci, ut æquo fœdere velint paciſci cum populo ſuis olim legibus ſubdito, niſi quatenus ijs aut evidens utilitas ſuadet, aut neceſſitas imperat, ut quandoque reſumptis viribus nec opinantes & imparatos opprimere queant. Non eſt tamen in dubio ponendum, quin charitate patriæ, & reverentia libertatis fuerint impulſi, qui tam anxie ſingula examinarunt. Sæpe enim magnæ calamitates ortæ ſunt ex malitioſa verborum interpretatione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ne. Carthago ab imis ſedibus exciſa eſt, quum tamen civitatem ſalvam fore Romani ſpopondiſſent, quod eam dicerent non in muris aut parietibus conſiſtere, ſed in conventu & multitudine civium, qui ijſdem legibus & inſtitutis uterentur. Sic evaſiſſe putabant infamiam perjurij ac perfidiæ, qui quum eſſent pactæ XXX dierum induciæ, noctu agros hoſtiles populabantur. Nec parvo ſtetit ſua generoſa credulitas Philippo Haſſiæ Lantgravio, qui ad infames inſulas Enig & Evig naufragium fecit. Fluxo & fragili præſidio niteretur illuſtriſſimorum Ordinum authoritas, ſi non mole ſua ſtaret nixa proprijs viribus, ſed in chartis, & litium inſtrumentis ſpem juris ſui perſequendi repoſitam haberet, quemadmodum fatale imperij pignus a Veſtæ virginibus in penetrali conditum aſſervabatur. Vt in civilibus controverſijs, quum ſunt partium iura obſcura, potior eſt cauſa poſſidentis: ita in imperijs, in populari ſtatu, in Optimatum regimine, in omni forma publicæ adminiſtrationis plerumque favor & inclinatio animorum ad eos vergit, qui pignori incumbunt, & rationes ſuas fœliciter ac ſapienter moderantur. Cæterum uti lex nulla tam provide circumſpecteque ferri poteſt, quin multis fraudibus & calumnijs obnoxia ſit, quibus ſententia eius circumveniri queat, ut ſi quis eas omnes e medio tollere velit hydræ caput amputare ſumat: ſic nullæ pactiones tam exactis verborum formulis concipi poſſunt, quin pateat effugium ad eludendam earum vim ſi quis occaſionem cavillandi quærat. Quocirca qui rebus adminiſtrandis præſunt, diligenter providere debent, ne ipſos fugiat qua mente ſint affecti qui de bello finiendo, feriendoque fœdere conſilia ſuſcipiunt: utrum animis volentibus id faciant, an adducti temporibus, & neceſſitate, quæ legem omnem frangit infirmatque, ut illis fides habeatur tanquam fidelibus amicis ultro pacta ſervaturis, hi vero caveantur, tanquam in occaſiones intenti, & temporum inſidiatores. Ad ſummam, non Apollinis oraculum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

culum verius eſt quam hoc effatum Legati Privernatium, qui in Senatu Romanorum interrogatus qualem cives ſui pacem a Romanis exſpectarent, ſi bonam dederitis, inquit, & fidam & perpetuam: ſi malam, haud diuturnã. Ea enimdemum glorioſa & honorifica pax eſt, qua voluntarij gaudent, quæ nihil habeat inſidiarum, quæ non ſit pactio ſervitutis, aut bellum nomine pacis obvolutum. Talis autem ægre ſperanda eſt inter eos, quorum hi ſine modo dominari cupiunt, alij ſe ad libertatem natos, & pro ea defendenda mori paratos eſſe profitentur. Inter tam diſpares naturas nulla tutior eſt cautio, quam ut omnia præſidia comparentur, quibus efficiatur ut qui animo ac voluntate ad nocendum propenſus eſſe præſumitur, nocendi viribus deſtituatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

De Inducijs
BELLI BELGICI.
LIBER SECVNDVS.

MAgna negotia magnis indigent adjutoribus, tardoſq; ſolent habere progreſſus. Non igitur mirari convenit ſi negotiatio illa pacis, quæ tunc temporis arrexerat omnium mentes, & latiſſimus diſſerendi campus erat, tam lento gradu procedebat. Ordines ſub finem anni præcedentis literas ad Archiduces ſcripſerant, quibus ſignificabatur ipſos eſſe paratos ad colloquendum de pace vel inducijs, ſi ab Archiducibus legarentur certi homines quibuſcum ea de re tractari poſſet, & quia tempora pactarum in VIII menſes induciarum paucos intra dies finiebantur, permittebant Ordines arbitrio & voluntati Archiducum, ut eas in unum aut ſeſquimenſem prorogarent. Placuit conditio Sereniſsimis Principibus, qui comiter Gallico ſermone reſponderunt, dignatique ſunt Ordines honore & titulo chariſsimorum amicorum. Quod urbani homines, qui ſibi ſumunt libertatem omnia interpretandi, varie accipiebant. Sapientiores, id quod res eſt, arbitrabantur eſſe tantum vocabula artis, & publica verba, in quibus non conſiſterent fortunæ Gręcorum. Vulgus imperitum, malignus veræ gloriæ veræque magnitudinis interpres, nimis popularem hanc appellationem & majeſtate inferiorem eſſe iudicabat. Mihi contra videtur. Nam quum a nullo periculo longius abſit fortuna Principum, quam a contemptu & humilitate,

nunquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

nunquam celſius ſeſe extollit eorum ſublimitas, quam ubi ſepoſito faſtu ad familiaritatis officia deſcendunt. Suaviſſimam humanæ fœlicitatis partem, & pretioſiorem omni Perſarum gaza theſaurum magnatibus adimunt, qui amicitiam ab aulis excludunt. Sane virtus illa, quum æqualitate gaudeat, raro bona fide colitur inter eos quorum unus ſibi dominus videtur, cæteri ſervi, licet nuſquam jactãtius oſtentetur quam apud limina potentiorum. Quum res Romana viris & moribus antiquis ſtaret, ambitioſum certamen inter Reges erat quis populi Romani amicus appellari mereretur, ut nunc ſumma votorum eſt apud Satrapas Regis Hiſpaniarum, quis inter magnos ſeu grandes nomen profiteri poſsit, cuius dignitatis hic eſt apex ut appareat tecto capite coram Regia Majeſtate. Arverni & Hedui plurimum gratulati ſunt ſuæ fœlicitati, & ſe cœlum digito poſſe contingere putabant, quod fratres populi Romani vocarentur. Non erat igitur pro nihilo ducenda comitas & humanitas Archiducum iudicio eorum qui circa eiuſmodi minutias operoſe philoſophantur. Nam hoc dulci amicorum elogio videbantur agnoſci tanquã pares & ſocij, in quos nullum ſibi jus niſi fœderis icendi, colendæque amicitiæ ſupereſſet. Placuit in ſeſquimenſem produci inducias. Literis Archiducum adjuncta erat epiſtola patris Ney, ex qua intellectum eſt quinam ad negotiationem pacis aut induciarum nomine Regis & Archiducum inſtituendam delegati eſſent. Erant autem V capita legationis. Ambroſius Spinola aurei velleris Eques, Marchio Venafri, Dux Sanſeverinus, Regiæ militiæ Imperator, cuius nomen & decus conſecratum eſt immortalitati ob egregia facinora quæ bello deſignavit, vir invicti laboris, animo & ſpe ad omnia ſumma natus, a vitijs integer, præclariſque ſubornatus virtutibus, quarum ope familiam veterem & illuſtrem in tantum claritudinis evexit, ut nemo maiorum ſit cum eo comparandus. De Iohannis Richardoti laudibus ſi dicere aggrediar, ſoli facem allucere

vide-

videbor. Satis eum conſentiens fama demonſtrat, & rerum geſtarum gloria nunquam nomen hominis oblivione deleri patietur, quamdiu magnis viris ac virtutibus honos exſtabit. Is fuit inter primarios adiutores pacis conciliandæ cum Rege Galliarum, itemque cum Rege Magnæ Britanniæ. Viſus igitur eſt idoneus qui duabus palmis iam ante partis tertiam laurum adjungeret. Iohannes Mancicidor Archiducum Secretarius etiam fide & induſtria non vulgarem eſt famam conſequutus. Duo reliqui erant qui iam aliquoties ſimul legationem obierant, ſæpe antea nominati, reverendus pater Ney, religioſorum Ordinis Seraphici (ut hodie nomina obtinent) in Belgio Commiſſarius Generalis, & Ludovicus Verreycken. Iniecit nonnullam hęſitationem ſcrupuloſis hominibus, qui omnia ad vivum reſecant, quod ad eam negotiationem adhiberentur duo extranei generis contra quam polliciti erant Archiduces, qui ſe nullius opera uſuros ſcripſerant niſi qui eſſent Belgicæ gentis & originis. Videbatur etiam digna res ampliori deliberatione, an ſupremus militiæ dux ſine periculo admitti poſſet. At periti rerum, & qui veræ gloriæ guſtum habebant, illud ipſum in argumentum Batavicæ magnitudinis interpretabantur, quod tantis rebus geſtis ipſe dux militiæ ex Imperatore factus eſſet Orator, & pacem petere non dedignaretur. Deſtinatum erat ut navibns delati in Hollandiam appellerent, ſed conſilio interceſſit violentia frigoris, cui ſimile vix ulli ſeniores recordari poterant. Profecti ſunt in Brabantiam mandatu Ordinum Iuſtinus a Naſſau filius naturalis illuſtriſſimi Principis Gulielmi, non indigna patre proles, iudicio & eloquentia inſignis, Præfectus urbis & arcis Bredanæ: cui adiunctus erat collega Marcellus Baxius Bergopſomij Præfectus, vir militari gloria clarus, ut Legatis obviam irent, & eos Hagham deducerent. Quaſcunque ad urbes advenerunt excepti ſunt a Magiſtratu & civibus, tanto confluxu omnis ordinis & ætatis hominum, tanta cum gratulatione, lætitia, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſignificatione benevolentiæ, ut ipſa tecta recreari eorum adventu,& civitates excitæ ſedibus ſuis viderentur ad oculos implendum inſolito ſpectaculo. Sed incredibile memoratu eſt, quanta mortalium frequentia & multitudo diverſis ex locis confluxerint haud procul Hagha cupiditate viſendi & audiendi quo vultu, quove ſermone ſeſe mutuo ſalutaturi eſſent duo clariſſimi ſuæ ætatis duces, Princeps Mauricius nemini veterum ſecundus animi magnitudine, conſilij ſolertia, bellicis virtutibus,ac rerum geſtarum gloria,& Marchio Spinola, cuius invicta vis animi,& fortia facta non parvo ſteterunt unitis Provincijs. Quum in conſpectum veniſſent, alter alterius obtutu defixi,& mutua admiratione attoniti pauliſper hæſere. Tum prior Mauricius hunc in modum Gallice orſus eſt loqui. Deus qui lucem creavit, & cui cogitationes meæ patent, ſcit quantopere mihi deſideratus exoptatuſque ſit tuus in haſce oras adventus, & volvenda dies veritatis filia certiſſimum ejuſce rei teſtimonium perhibebit. Ad ea ſic reſpōdiſſe fertur Spinola. Hodierna die tanto ſum perfuſus gaudio, ut maius animo concipere non poſſim. Tamen ſpero incrementum ſumpturas vires deſiderij mei,ut digne tueri queam munus mihi a Sereniſſimis Archiducibus aſſignatum, & par eſſe honori, quo me dignatus eſt maximus Regum quos ſol adſpicit. Aderat ibidem flos & ſoboles nobilitatis, Henricus frater Principis Maurici), digna proles magno parente, dignus etiam avo materno nepos, magno illo Gaſpare Colinio, nec degener a virtutibus fraternis. Gulielmus Comes Naſſovius, vir ingenio ſolers, conſilio providus, juſtitiæ & pietatis fervidus cultor,nec minus militari gloria inſignis,& mente pariter ac manu ſtrenuus. Sed nomina ſingulorum percenſere, aut quæ in eo congreſſu ultro citroque dicta vel facta ſint, commemorare hominis eſſet intemperanter abutentis otio legentium, nec ſatis conſiderantis quid hiſtoriæ munus ac dignitas requirat. Peractis ſolennibus, quum mutuæ ſalutatio-

lutationes, & viſitationes deferbuiſſent, cœptum eſt agi de negotio, cuius ergo venerant. Ex parte Ordinum delegati ſunt novemviri, quorum fidei, prudentiæ & integritati tota res committeretur. Non indigna ſunt nomina quæ a poſteritate noſcantur. Erant autem hi. Duo primariæ nobilitatis nomine omnium Provinciarum delecti, Gulielmus Ludovicus Comes a Naſſau, Præfectus Friſiæ, de quo ante ſum loquutus. VValravius Brederodius Vianæ Dominus ex illuſtriſſima Comitum Hollandiæ proſapia oriundus, vir omni genere virtutum excellens, venerabili oris canitie præ ſe ferens imaginem antiquæ gentis. Septem alij a VII Provincijs (tot enim ſunt quæ unitæ appellantur, & Ordinum ditione reguntur) deſignati erant. A Ducatu Geldriæ quo ſimul comprehenditur Comitatus Zutphaniæ, Cornelius de Gendt Prætor, & Imperialis Iudex civitatis Noviomagi, generis nobilitate & virtutum ornamentis eximius. Ab Hollandia Iohannes Oldenbarneveldius, vir nunquā ſine honore nominādus, & iam ſæpe nobis memoratus. A Zelandia Iacobus Maldereus, de cuius laude & legatione in magnam Britanniam ſupra diximus. Ab Vltraiectinis Nicolaus Berkius eiuſce Provinciæ Prẹſes conſilij, vir cuiuſlibet ſplendidi muneris capax. A Friſia Gellius Hillema Friſiæ conſiliarius, quicum olim ſtudiorum cōmilitio devinctus fui, & quē iure facio plurimi ob eximias ingenij iudicij, doctrinæq; dotes. A Tranſiſulanis Iohannes Sloeth dominus a Salick, Satrapa territorij de Vollenho, & Præfectus ditionis de Cunder, fide & induſtria meritus ut maxima quẹque negotia tuto ipſi cōmitti poſſint. A Groninganis Abel Koenders, vir ſingulari eruditione & humanitate, ſemperq; conſtans propugnator optimarū partium. Dum hæc ita ordinantur, triſti nuntio, & domeſtico vulnere afflictus eſt Iohānes Mancicidor audita lamētabili morte uxoris, quẹ maritū comitata uſq; ad urbē Lirā (diſtat ab Antverpia III miliaribus) quum Bruxellas rediret in itinere ſubmerſa eſt. Pertulit hunc

acerbiſſimum caſum Mancicidor forti animo, ſolatiumque
III Non. Februar. mœroris a publicis curis petivit. Per idem tēpus venit Hagam Legatus illuſtriſſimi Principis Mauricij Haſſiæ Lantgravij, vir doctrina & uſu maxime exercitatus Ioannes a Burch ijſdem de cauſis, quibus cæteri, nimirum ut domini ſui ſtudium ac benevolentiam erga Ordines teſtificaretur, & operā con-
Poſtridie Non. Febr. ſiliumq; offerret, ſi qua in re cōmodis eorum prodeſſe poſſet. Primo die quo convenerunt Archiducum & Ordinum delegati, nihil aliud actum eſt, quam ut exhiberentur utrinque inſtrumenta, quibus ipſorum authoritas firmabatur. Literæ Regis datæ erant Madriti IV Eidus Ian. unde propter anguſtias temporis probabiles erant cauſæ dubitandi an album Regia manu ſignatum, Bruxellis vero inſtrumentum procuratio-
IV Eed. Februar. nis repetita die confectum eſſet. Quum iterum in conſilium veniſſent mota fuit levis velitatio a Marchione Spinola ſuper clauſula procuratorij inſtrumenti, qua reſtringebatur agendi poteſtas intra fines mandatorū. Mandata porrononoſtendebantur, quod fieri debere in talibus negotijs Legati Archiducum contendebāt: ſed ipſis abunde ſatisfactū eſt hoc reſponſo, quod nimirū omnia de quibus cōſenſiſſent, protinus ab Ordinibus comprobatū iri. & rata fore pollicerentur, qui præſentes facile conſuli poterant, & explicare ſi quid oriretnr ambiguitatis. Viciſſim quæſitum eſt ex Marchione & collegis eius, an ſatis ampla poteſtate inſtructi eſſent, ut ſecum agerent tanquā cum libera repub. civibuſq; nullius dominio ſubiectis, in quos Rex & Archiduces nullum jus prætenderent. Reſponderunt non eſſe cur de ea re dubitetur, nec ſe morari quem titulum ſibi Ordines aſſumerent, etiamſi Reges vellent appellari. Cur igitur Archiduces (excipit unus ex Ordinum Legatis)
a Hoc exemplum parum apte propoſitum eſt. retinent arma ſeu inſignia unitarum Provinciarum, Reſpondetur, eodem jure & more quo Rex Catholicus Regem ſe Hieroſolymitarum prqdicat, *a* Rex Galliæ ſe Navarvarræ vult haberi, Rex Magnæ Britanniæ Rex Franciæ ſolet appel-

appellari. Contentos eſſe debere Ordines quod in poſſeſſione ſint, & pignori inſiſtant. Relinquendum eſſe magnis Principibus hoc oblectamentum, ut majorum ſedibus exterminati, ſaltem inanes ſibi titulos reſervare poſſint, quemadmodum pueris dantur crepundia a blandis nutricibus: rogabanturque Ordines ut eam moderationem in inſcriptionibus ſuis ſervarent, qua minimum labis adſpergeretur Regiæ Maieſtati, & Celſitudini Sereniſſimorum Archiducum. Totus orbis terrarum exercet hiſtrioniam, ait facetus quidam author, certe nuſquam magis ſcenæ & populo ſervitur, quam in actionibus magnatum, ubi quo plus pompæ & oſtẽtationis apparet, eo minus ſolidæ veritatis ſubeſt. Tertio conventu propoſiti ſunt articuli ſcripto comprehenſi, quibus continebatur formula vindiciarum, in quam cupiebant Ordines conſentire Regem & Archiduces. Nimirum ut conceptis verbis, & diſerta enuntiatione abdicarent a ſe ſuiſque heredibus, ac ſucceſſoribus omne jus, quod in Provincias unitas unquam habuiſſent, aut prætendere poſſent, nec titulos amplius uſurparent, aut inſignia retinerent. Viſa eſt parum civilis verborum conceptio, nec delicatis, & tenellis Regum auribus accommodata, qua vehementer offenſi ſunt Legati Archiducum, concoxerunt tamen contumeliam Stoico ſtomacho, & ſe ea de re amplius deliberaturos teſtati, miſerunt continuo exemplum horrendæ legis ad Archiduces ut eorum ſententiam exquirerent. Interea graviter hanc injuriam apud Legatos Regum & Principum exaggerarunt. Enimvero non videri ferendam privatis hominibus, nedum ſceptrigeris Regibus ad imperium natis, talem popularis turbæ inſolentiam, ut non contenti ſint patriam & avitam hereditatem Auſtriacæ domus poſſidere, niſi legitimos ſucceſſores non ſolum ab omni ſpe recuperandi patrimonij ſubmoveant, ſed etiam exuant ornamentis evanidorũ nominum, in quibus præter gloriam nihil eſt additamenti. Communẽ fieri iniuriam Majeſtati omnium

III Fid. Febr.

Regum & exempli contagionem ſerpere poſſe in perniciem aliorum. Si bello ſubiugati eſſent Archiduces, aut legitimo iudicio convicti & condemnati, non poſſe acerbiores cōditiones victis imperari. Nunc eoſdē eſſe & accuſatores, & reos, & (quod utroque iniuſtius eſt) ſedere iudices in propria cauſa, deque ſuis olim dominis ſubditos, quibus ſufficit obſequij gloria, ferre ſententiam ut præmium inviolandæ libertatis accipiant pro authoramento perfidiæ ac rebellionis. Cui enim iure divino vel humano tanta poteſtas conceſſa eſt, ut poſſit inauditum indefenſum quenquan condemnare? Nedum ut ſubditis licere debeat, Principes legitima ſucceſsione ad imperium rite vocatos deturbare ſolio maieſtatis, indicta cauſa exaugurare, infeſtis armis perſequi, & declarare publicos hoſtes, quum par in parem non habeat imperium, nedum pedes in caput, nedum cives in Magiſtratum? Eſto ut obtentu neceſſariæ defenſionis adverſus intolerabilem vim ac ſævitiam excuſari poſsit cauſa belli, & quæ exinde ſecuta ſunt: an ideo æquum eſt filiam unicam maximi Regum, & univerſam poſteritatem ſine ſpe reſtitutionis ex arbitrio & plebiſcito ſubditorum pulcherrima dominiorum parte ſpoliari? Quæ quanquam ſunt inſanda memoratu, & perpeſſu aſpera, tamen Archiduces tanto ardore pacis & tranquillitatis inflammari, ut haſce indignitates diſsimulatione, & generoſo contemptu tranſmittant, dum tali bono frui liceat. Quum iam quartùm convenirent, ſignificatum eſt Archiduces in articulos ante exhibitos conſentire ea ſpe ut Ordines tali indulgentia devincti, & iam nunc in amicorum gregem adſcripti faciliores ſeſe præbeant ad ea concedenda, quæ Regi & Archiducibus vehementer eſſe cordi animadvertent, uti eſt Indica navigatio, qua fine potiſsimum impulſi eſſent ut tam liberaliter iura ſupremæ poteſtatis largirentur, & pacem expetere non dubitarent. Multi ſuſpectabant tantam liberalitatem: quæ

Eid:b. Februar.

quan-

quanquam nihil tribuebat Ordinibus præter id cuius poſſeſsionem antea tot periculis ac laboribus erant adepti, tamen nemo Regij moris intelligens credere poterat gratis iſta fieri, ſed conſtitura magno, & quo plura data fuerint populo, qui nimiam fœlicitatem ſuaque bona moderate pati nequit, eo peius abuſurum magna fortuna. Exinde conſultatum eſt de abolendis perpetua oblivione veteribus culpis & offenſis, lexque amneſtiæ revocata in uſum, ne cui fas eſſet præterita exprobrare, neu literæ pignerationis aut clarigationis (vulgo literæ repræſaliarum vocantur) utrinque concederentur niſi ex cauſa privatorum debitorum. Item ut inter utrumque populum libera ſint commercia & appulſus ad omnia regna, portus, & civitates, tanquam inter amicos & incolas earumdem regionum. Sed Legati Archiducum repente ſubiecerunt nequaquam comprehendi hoc articulo poſſe navigationem ad utranque Indiam, a qua ſubditis Ordinum ſine mora eſſet abſiſtendum, ſi quam ſpem fidæ manſuræque pacificationis animo conceptam haberent. Id vero ſe facturos pernegarunt ſtrenue ac fortiter Ordinum Legati, nec dominos ſuos unquam Attalicis conditionibus deliniri poſſe ut tale flagitium admitterent. Quæ a Rege, & Archiducibus munera tanto verborum ſplendore extolluntur ſuper conditione civium agnoſcenda, ſuperque ſtatu libertatis, ea quidem eſſe ampliſsima reputantibus quid ſit Majeſtas, & quanta potentia longe lateque regnantium Philipporum, ſed tamen nihil dari præter verba & formulas, præter chartas negligenter ſcriptas, ut appareat nihil ex animo ſinceraq; fide geri, ſed omnia expreſſa eſſe ab invitis, quærique latebras & effugia quibus aliquando ſub honeſto prætextu reſcindi poſsit quidquid iſtud inclinatio temporum, utilitatis ratio, & neceſsitas præſens extudiſſet. At ſi tam ingenti detrimento virium atque opum ſuarum ultro ſe mulctari ſinant, ut abſiſtant navigatione maris Indiarum,

XV Kal. Mart.

præter

præter publicæ dignitatis imminutionem, præter inæſtimabile damnum ac diſpendium, quod nullis ſupplementis ſarciri poteſt, etiam fidei religio violabitur, & populi fœderibus atque amicitia juncti cnm Batavis linquentur ſub cultro, exponenturque crudelitati & injuſtitiæ capitalium inimicorum. Nullum controverſiæ caput agitatum eſt tantis animorum motibus. Nam utrinque ex ſummis viribus contendebatur, Hiſpano ſatis intelligente quantum decederet de vera potẽtia & Majeſtate, ſi liberam ad Indias navigationẽ Batavicæ claſſi continuare liceret. Nec Ordinibus ullo modo æquum videbatur a propoſito dimoveri, ut ex tractatu pacis longe deterior eſſet conditio navigationis & commerciorum, quam ſi ab armis non diſcederetur. Multi conſeſſus nequidquam effluxerunt deliberando, diſputando & altercando. Præpotens collegium Belgarum mercatorum, qui negotiantur ad Indos Orientales vehementer hac obnuntiatione commotum fuit, & omnes ſuadæ, gratiæ atque authoritatis nervos explicuit ne tam pudendę & damnoſæ ſervitutis leges acciperentur. Rationes haudquaquam exigui momenti proponebantur, nec deerant fidi Laocoontes, qui patefacerent Danaûm inſidias: hac nempe ſpe, hoc fine remitti jura imaginariæ majeſtatis, ut ineſcati cives fallace ſubdolaq; titulorum magnificentia præcipuo fundo ſui patrimonij ſeſe ſpoliari paterentur, quemadmodum apud Horatium Eutrapelus veſtimenta pretioſa donabat ijs quibus nocere cupiebat, ut iucunde & hilariter in paupertatem delaberentur ſtudio tuendæ veſtium dignitatis. Declarabatur ſigillatim, tanquam in rationario imperij, quantum paſſim navium ſub Ordinum commeatu in vaſto illo mari vela faceret, immenſi redditus, qui inde provenirent, multa millia nautarum & innumeras domos tali præſidio ſuſtentari, quibus ab egeſtate & turbidis conſilijs metuendum eſſet, niſi eiuſmodi laboribus & exercitijs ab otio rebuſque novandis averterentur. Quemadmodum in affectis

ſingu-

ſingulorum corporibus interdum utilis eſt ſanguinis miſſio, ita in magno populo expedit exhauriri ſentinam civitatis. Societas mercatorum, qui commercia exercent cum Indis ad Orientem ſitis, perhibebatur habere naves quadraginta bellico apparatu, omnique ad victum annona inſtructiſſimas, quarum unaquæque æſtimabatur pretio XXV millium aureorum, ineratque magna vis æneorum tormentorum, virique nauticarum rerum experientiſſimi, laborum tolerātes, & ſummi periculorum contemptores, ubi ſpes lucri adfulſerit, ad V millia. Guinea tellus abundans auri metallo, plerumque frequentatur appulſu XX navium, quibus nihil deeſt quod ad belli & itineris uſum requiratur. Tum quæ ad inſulam ſancti Dominici, tum quæ ad Cubam aliaſque navigant. Ad ſummam omnibus ſubductis rationibus, numerantur CLX Naves & IIX CIↃ IↃ CCC milites laboribus maris & præliorum promptiſſimi. Quæ manus ſi a ſuetis navigationibus abſiſtere cogatur, nec facile inveniat ubi ſe exerceat, quid exinde futurum ſit facilem eſſe conjecturam. Nulla re magis celebrari gloriam ac decus unitarum Provinciarum, quam quod duos orbis terrarum trientes commercijs ac navigationibus conjungant. Hanc libertatem lege naturæ omnibus communem, & belli tempore multis illuſtribus victorijs quæſitam non debere per conditiones pacis eripi vel imminui. Nunquam fando auditum ut a naturali jure commerciorum excluderentur cives, qui confeſſione adverſarum partium liber populus pronuntiatus eſſet. Quum neutra pars de rigore ſententiæ quidquam remitteret, & Archiducum Legati negarent abſque Regis Hiſpaniarum expreſſo mandatu tantam rem decidi poſſe, propoſitæ ſunt rationes quibus per mediam quandam viam difficultas dirimeretur. Nimirum ut ex tribus hiſce conſilijs eligerent Rex & Archiduces, quod æquius ac melius eſſe judicarent. Aut ut per tractatum perpetuæ pacis in ſolidum concederetur utrinque libera navigatio

per univerſum mare Oceanum ad utriuſque Indiæ litora, portus ac populos: aut ut per longi temporis inducias in aliquot annos id fieri liceret, aut ut bellum & hoſtilitas terra marique ceſſaret in ijs regionibus quæ ſitæ ſunt intra tropicum cancri, quæ ultra porriguntur, ibi fas eſſet armata manu jus ſuum tueri, nec victoriæ cauſam quiſquam reddere cogeretur, aut damnorum nomine conveniri poſſet. Nulla ex his tribus ſententia placuit. Prima repudiata eſt ob defectum authoritatis, & quia mandatis inſtructi erant prorſus contrarijs. Vltima diſplicebat quia res inter ſe diſſociabiles, pacem & bellum, ſocietatem & hoſtilitatem ſimul jungebat, quod minime gratum putabant fore principibus otij & concordiæ amantibus, non turbarum & contentionum. Mediam non admodum improbabant, ſiquidem Ordines declararent ſe finito tempore induciarum ab Indicis navigationibus in univerſum abſtenturos eſſe, quod nequaquã induci potuerunt ut conſentirent, ſed teſtati ſunt hanc eſſe ſuam mentẽ, ut tunc omnia forẽt utrinque integra, manerentque in tali ſtatu quo ante conventas inducias erant. Quum tam pervicacibus animis hærerent in iiſdem ſedibus, Ordines cœperunt ſerio hortari eos qui de claſſe ad Occidentales Indos inſtauranda ſocietatẽ coierant, ut fortiter in eam curã incumberent, ſi forte hoc injecto metu Legati Archiducum permoveri poſſent, ne tam obſtinatis mentibus in propoſito perſeverarent. Melius enim ſub clypeo procedere pacis negotium, & facilius impulſum iri animos ad quietis conſilia, ſi nihil de cavendi diligentia belliq; apparatu remitteretur. Sed de compoſito rem geri perſpicere videbantur, queſtiq; ſunt invicem apud Regum & Procerũ Legatos de mutua pertinacia, quæ nec rationibus perſuaderi, nec ab æquo & bono ſeſe vinci pateretur. Quum tanta difficultas circumſtaret negotium Indicæ navigationis, ut nullo modo res exitũ habitura eſse videretur, Legati Regis & Archiducum ſignificarunt ſe amplius deliberaturos circa illud quod propoſitum

erat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

erat de permittenda libertate commerciorum tantiſper dum induciarum tempora durarēt, quibus præterlapſis ad priorem naturam cauſa reverteretur. Interim poſtulabant ut de alijs articulis conſultatio iniretur, ne fruſtra tam ſolennis actio inſtituta eſſe videretur. Delegati ex parte Ordinum cupiebant omnia, quæ in eo tractatu diſceptanda erant, ſimul & ſemel proponi, nec quicquam ſilentio aut diſſimulatione reſervari in ſcrinio pectoris, ut ad liquidum ſcirent, & uno quaſi adſpectu intueri poſſent quinam eſſent fines ac limites mādatorum circa quos verſaretur omnis deliberatio. Alij regerebant poſtulatum iſtud & inauditū, & rationi haud conſentaneum videri, nec ſe ad eam rem rite præparatos eſſe: non neminem ex eo cœtu interfuiſſe negotiationi pacis quæ celebrata eſset tum in Gallia, tum in Magna Britannia, ſed nihil tale unquā uſurpatum fuiſse, verum hanc eſse perpetuam procedendi conſuetudinē, & velut ordinariam praxin in eiuſcemodi negotijs, ut ſinguli articuli particulatim excutiendi proponantur. Placere morē uſitatum ſervari, nec ex decreto Iuris-conſultorum temere quidquam mutandum de ſolennibus, &, ſi videretur, in præſentia tractarēt de terminis ac limitibus, intra quos mutua commercia definirentur, & quid ſtatui oporterer ſuper reſtitutione bonorum, quibus manus injecta eſset. Delegati Ordinum æquitatem petitionis ſuæ tuebātur idoneis rationibus, & exemplo bonorū inter quos bene agier oporteret. Non cōvenire Batavicæ ſimplicitati tales verſutias, ut aliud ore promptum aliud corde clauſum gerant, aut quidquā celari cupiant quod interſit adverſariorum non ignorari. Quod ab ipſis expetant, id ſe viciſſim paratos eſse reipſa exſequi, cunctoſque articulos dilucido ſermone conceptos ſine mora, & circuitione ſimul exhibere, ſuper quibus ſtatuerent eſse deliberandum. Quod ſi pellucentem materiam humanis pectoribus natura indidiſſet, quemadmodum Momus ille culpator divinorum operum optare ſolebat, ſe neutiquam detrectaturos

hanc legẽ, ut toto receſſu patere poſſent arcana cogitationum. Nihil enim æque ſibi eſſe in votis, quã ut more & inſtituto majorum omnia candide gererentur ſine ullo fuco diſſimulationis, aut fallaciarum. Nec decipere quenquam velle, & operam daturos ſe ne decipiantur. Satis apparebat non poſſe tam diſcrepantes animos, tantamque opinionum repugnantiam conciliari. Nam clavam facilius erat extorquere e manu Herculis, quam ut uſucapio Indicæ navigationis conceſſu Regis Hiſpaniarum Batavicæ claſſi permitteretur. Hanc enim vetus regnandi Philippus II ſibi ſepoſuerat tanquam arcanum dominationis, & quum filiæ unice dilectæ tranſcriberet ditionem Belgarum, ſub atrocibus minis interdixerat, ne ullo modo vel ipſa, vel Archidux eorumve ſucceſſores quidquam commercij haberent, aut ſubditos paterentur negotiari cum utriuſque Indiæ populis quocunque prętextu id fieri poſſet. Si ſecus faxint, dominio Belgarum devolverentur, aut in contumaces ſeveriter animadverterẽt confiſcatione bonorũ, alijſque mulctis, etiam ſupplicio capitis, ut eſt diſertis verbis comprehenſum in inſtrumento ceſsionis. Providus ſenex, quẽ ætas & uſus ad leniorem mentem inflexerat, ſatis perſpiciebat quantum in eo ſitum eſſet, ne latentes iſtæ terrarum oræ commercijs exterarum gentium aperirentur, &, ſi ex eventu iudicandum eſt, non admodum utile conſilium dederunt ſucceſſori, qui fuerunt authores ut in auſpicio principatus naves Batavorum fiſco, & corpora pœnis ac ſervituti addicerentur. Hæc enim ſævitia præbuit occaſionem Belgicis mercatoribus, quorum aviditati nihil eſt inacceſſum, ut ad extremos Garamantas & Indos penetrarent, ne quid inexpertum ſine lucro morituri relinquerent. Quantũ inde potentiæ, magnitudinis & authoritatis acceſſerit Ordinibus, quanta vero labes facta ſit Majeſtati Regis Hiſpaniarum, nulli melius quam adverſarijs creditur qui ſæpe gravibus damnis, & internecione ſuorum experti ſunt quid navalis Batavorum

VIII Articulo.

Articulo nono.

manus

manus bellica virtute poſſit. Et nunc quum ſumma vi libertatem Indicarum navigationum impedire contendant, tamen eam pati coguntur, ni a volentibus impetrent quod vix unquam ab invitis extorquebunt, quamdiu concordibus votis ac ſtudijs in medium conſulent, & communi cauſæ incumbent. Actum fuerat in conventu delegatorum ut utrinque proponerentur omnes articuli, de quibus eſſet ſuſcipienda deliberatio. Id initio videbatur novum & inuſitatum Legatis Archiducum, ſed poſtea comperta poſtulati æquitate in eandem ſententiam conceſſerunt. Exhibiti ſunt nomine Ordinum articuli XXVIII, quibus ſtudebant, quantum fieri potuit, mentem perſpicue ſimpliciterque indicare, ne cavillis aut calumnijs locus relinqueretur. Ex parte Archiducum propoſiti fuerunt articuli VII numero pauciores, & ſermone parci, ſed explicatu difficiles, & quorum ſinguli juſtam injicere curam poterant ob quam viator properus inhiberet feſtinationem. Erat inter eos caput de religione, quod protinus arreptum eſt, poſtulatumque ut ea de re ad conſilium referretur. Nam ut ſunt pronæ ad ſuſpicionem impulſæ ſemel mentes, erant qui credebãt hunc articulum penetrare altius, & ſacrum libertatis depoſitũ per cuniculos oppugnari, quaſi Rex & Archiduces ſibi aliquod jus vindicarent innovandi, aut omnino quidquam poſtulandi circa cauſam religionis, quod ex adverſo pugnabat cum propoſito renuntiationis, niſi forte hęc eſſet mens & ſententia, ut ex mutuo conſenſu decerneretur quomodo ſe gerendum haberet uterque populus, quum inter diverſæ religionis homines verſaretur. Ad quam hæſitationem nihil aliud eſt reſponſum, niſi ſe mentem ſuam expoſituros quum ad eius articuli diſquiſitionẽ ventum foret. Quumque acrius inſtaretur, declararunt ſe nuntium ex Hiſpania exſpectare, a quo certiores fierent quid ſupra ea re faciendum eſſe Rex decreviſſet. Dum ex diverſis colloquijs & conventibus nihil elicitur præter altercationes, jurgia, querelas, & mutuas

Nonis Martij.

expoſtulationes abſque ullo fructu , more & modo, Præſes Richardotus ſolus in conſilium venit, magnaque cum vehementia invectus eſt in pervicaciam & obſtinationem animorum, qua fieret ne res maximæ ſpei maximæque utilitatis ad optatum finem perduci poſſet. Id ſibi & illuſtriſſimo Machioni cæteriſque collegis tam grave ac moleſtum eſſe, ut nihil ſupra : rogabatque & obteſtabatur ſingulos atque univerſos, ne nimis acriter pertendendo bonis communibus obſtare vellent, neve de manibus elabi paterentur tam præclaram rerum bene gerendarum occaſionem, tantoque cum affectu verba faciebat , ut etiam lacrimæ manarent ex oculis, nec parum commoveri mentes audientium videbantur : ſed non ideo induci poterant ut quidquam remitterent de priſtino rigore. Neque enim ullo modo decretum erat Ordinibus ab Indicis navigationibus abſiſtere, nec id credebant incolumi libertate, ſalvoque ſtatu publicæ dignitatis poſtulari debere. Nervos enim inciderent potentiæ ſuæ atque authoritatis, Quid quod ejuſmodi ſervitus pugnat cum communi jure gentium ? cum natura omnium conventionum, quibus bella terminantur, aut interquieſcunt ? Immenſum iſtud & vaſtū mare cunctis patet, neminē dominū agnoſcit extra Creatorē univerſi Deum. Iam omnis ſpes præciſa eſſe videbatur aliquid effici poſſe, quum ex alio aliud impedimentum ſubinde exoriretur, & fomenta quæ ſpectabant ad incommoda lenienda malū ipſum exaſperarēt, adeo ut remedijs non minus quā morbis laboraretur: tandē poſt varias fruſtra propoſitas moderationis vias, poſt multa colloquia ex quibus nihil dectetorio ſtilo firmatū eſt, ſedit hæc ſententia, mittendum eſſe ad Regē Hiſpaniarum, a cuius nutu & arbitratu tota legationis authoritas pendebat, patrem Ney, qui abunde literis & mandatis inſtructus dictatoriam voluntatem Regis perſcrutaretur, ut inde tanquam ex adytis oraculum reportaret, ex quo ſuſpenſæ Belgarum mentes fati ſui legem acciperent. Interea paſſim ſcripta in vlgus

ſparge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſpargebantur, prout animi ſpe aut metu in has aut illas partes inclinabant. Editus eſt libellus; cui titulus Mare liberum ſuppreſſo nomine, ſed authore Hugone Grotio Fiſci Advocato, de cuius juvenis indole, doctina, probitate & admirandis laudibus in omni genere virtutum, nihil tam magnifice quidquam dixero, quod eius meritis reſpondere queat. Illic ſolidis rationum momentis, illuſtribus exemplis, ſanctione legum, authoritate ipſorum Iuriſ-conſultorum, qui inter Hiſpanos magno in honore ſunt, evincitur liberam ad Indos navigationem nec divino nec humano iure ſubditis Ordinum fœderatorum interdici poſſe. Nos quoque per idem tempus, tanquam aliqua pars vectorum in ea navi quæ periclitari videbatur, diſſertatiunculam ſuper inducijs conſcripſimus ſub nomine Latini Pacati, in qua, ut difficile eſt omnibus placere, non potuimus quorundam offenſas declinare, quibus ſuſpectæ ſunt fraudis & inſidiarum induciæ, nec ego ſecuritatem approbo aut ſuadeo, quæ frequentiſsimū initium eſt calamitatis: ſed temperatã ratione & ſapientia diffidentiam, ut neq; nihil, neque omnia tuta timeantur, Non eſt dubium quin generoſo amore patriæ libertatis impulſi fuerint, qui pace perpetua finem imponi dtuturno bello maluerunt, quam longi temporis inducias fieri. Ac ſi in alterutram partem peccandum ſit, ſatius eſt eſſe nimis timidum, quam parum prudentem. Nam in ſuo quemque periculo fortem animum habere decet, ubi de communi libertate certamen cernitur, ubi patriæ ſalus in dubium venit, timidiſſimo cuique maxime fidendum eſt, & magnanimus atque cõſtans civis cenſeri debet, qui plurimum eo nomine perturbatur. Confidentia & ſecuritas in talibus non caret ſuſpicione aut imprudentiæ, aut infidelitatis. Sed cum declararet Rex potentiſſimus, ſe cum civibus olim imperio ſuo ſubiectis, tanquam cum populo libero paciſci, in quem nihil iuris dominijque ſibi vindicaret, non intelligebam

quę

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

quæ juſta cauſa poſſet intercedere cur ab hoſtilitate ceſſare non oporteret, præſertim quum Legati magnorum Regum ac Principum fidem ſuorum dominorum obligarent rata fore quæ promitterentur. Quid enim aliud Belgas ad arma concitavit quam ut vim vi defenderent, ut ſpiritum incolumem ſervare, ut hanc lucis uſuram oculis haurire, ut precariam animam retinere fas eſſet? Nam illud nemo quiſquam ſine crimine læſæ Majeſtatis auſus fuiſſet optare, ut imperium Regi abrogaretur, ut ſui juris & mancipij eſſet reſpub. ſeque cives ſuo Marte in libertatē vindicarent. Neceſſaria vitæ & incolumitatis defenſio, quam ratio doctis, mos gentibus, & natura ipſa brutis animantibus præſcribit, initium fuit belli contra Regem ſuſcepti a viris extrema ſervitute, & omni acerbitate ſuppliciorum miſerrime afflictis atq; oppreſſis. Immanſuetus ille Dux Albanus, monſtrum piacularibus ſacris luſtrandum, & in ſolas terrarum oras atque in ultimas gentes deportandū, nihil reliqui fecit ad ſævitiam & immanitatem, florem nobilitatis gladio carnificum præbere cervices coëgit, aliquot millia miſerorum civium flammis, crucibus, aquis, omnibuſque pœnarū exemplis trucidari imperavit, opulētas civitates rapinis exinanivit, urbes in deditionem acceptas prædę expoſuit, cædibus exterminavit. Denique talem prorſus ſe geſſit, ut nullum ſocietatis humanæ commercium cum hominibus huic importuno prodigio intercedere videretur. Poſtquam ita ſæviendo, rapiendo, furendo funeſta peſtis iſta graſſata eſſet, eique ſucceſſiſſent unus & item alter haud multo mitiores, ſed occultioribus inſtructi mandatis, & qui temporis cauſa naturam callidius occultarent, tamen quamdiu ſpes fuit lenioribus fomentis aliquid effici poſſe, omnia remedia tentata ſunt quibus ſubditi cum Rege in gratiam reconciliari poſſent. Miſsi in Hiſpanias Legati ſuppliciter pacem orantes, & offenſarum veniam atque oblivionem, utque humano more cum hominibus ageretur, ne dicam civiliter cum civibus,

alter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

alter veneno ſublatus eſt, alter manu carnificis inſontem animam exſpiravit. Tamen multos per annos ita bellum geſtum eſt, ut conſiſteretur intra moderamen inculpatæ tutelæ, nec quidquam publica fide gerebatur niſi ſub authoritate Regij nominis, ſi forte tali obſequio & officio pectus Philippi ad manſuetudinem & miſericordiam inclinari poſſet. Tandem ut extremis morbis extrema ſolet adhiberi medicina, ventum eſt eo ut ſine miſſione pugnandum eſſe decerneretur. Ordines enim muniti ſacroſanctis legibus, & coacti viribus invictæ neceſsitatis, quam iura divina atque humana legibus ſolutam eſſe conſentiunt, Ordines, inquam, ut tutores, & vindices patriæ dignitatis, & libertatis civium, quorum curis ac vigilijs nititur populi ſalus & incolumitas, neu quid reſp. capiat detrimenti, cenſuerunt Regem, ipſo jure, principatu atque imperio Belgarum excidiſſe, iuratumque eſt a Brabantinis, Flandris alijſque in verba Principis externi: quod tamen hactenus non fuit factum ſolenniter ab unitis Provincijs. Cauſam armorum & magna pars Chriſtianarum gentium approbat, & Deus ipſe tam manifeſto favore, tam admirandis ſucceſsibus eſt proſequutus, ut unitarum Provinciarum ſtatus cum qualibet rep. vel principatu, copijs, opibus, gloria, potentia, fœderibus, omnique rerum cumulo quę ad magnitudinem faciunt, certare poſſe videatur. Iam vero quum ipſius hoſtis confeſsione juſtitia & æquitas cauſæ Ordinum comprobetur, qui ob eam rem iura Majeſtatis reſignavit, quæ ratio, quis color, quis prætextus adferri poteſt cur ab armis non diſcedatur? dum id fiat ſalvo iure libertatis, nec de viribus quidquam detrahatur, & ſecuritati cautum ſit. Nam ut corruere neceſſe eſt quidquid ſuperſtruitur, niſi firmum fundamẽtum jaciatur, ita bella niti debent iuſtis bellorũ cauſis. Alioqui vindex injuriarum Deus, cuius ſolio adſidet illa rerum divinarum humanarumque regina Themis, non rite ſecundat exorſa. Salvis auſpicijs geruntur quæ propitio Numine fiunt. Illa vero cauſa eſt non modo

juſta & legitima, verum etiam neceſſaria quum vi vis illata defenditur, quum intolerabilis crudelitas virtute propulſatur. Iuſta bella cenſenda ſunt, quibus maior humanis conſilijs neceſſitas cauſam præbet, & pia arma, quibus nulla niſi in armis ſpes & ratio expediendæ ſalutis relinquitur. Immane vero quiddam, & beluarum ſimile eſt temere in acie verſari, & manu confligere cum hoſtibus abſq; ullo iuris fundamento. Nec eventui ſemper credendum eſt, qui plerumque, unde jus ſtabat, ei victoriam addicere ſolet. Nam nec illud perpetuo ſic habet moderante rebus humanis divina providentia, cui ſua conſtat ratio tametſi nulli reddatur: nec eodem iuſtitiæ munimento nitetur cauſa illuſtriſſimorum Ordinum, ſi pacem vel inducias haud iniquis conditionibus paciſci fuerint adſpernati. Non enim alio fine bellatum eſt, niſi ut in pace & otio ſine iniuria viveretur, nequaquam autem ut pervicacibus odijs alter in alterius excidium atque internecionē duraret, nec una pars ſtare poſſet niſi alterius clades & ultima diſperditio ſequuta eſſet. Neque enim cum Philippo aut Alberto contenditur, tanquam cum infeſtis hoſtibus, quibuſcum nulla conditio pacis intercedere poſsit, ut olim Romani cum Cimbris & Teutonibus bella geſſerunt, quibuſcum non de gloria aut principatu, ſed de vita & ſanguine certabatur, uter eſſet non uter regnaret. Verùm hæc mens, hic ſcopus armorum & fuit a principio, & nunc etiam eſſe debet, ut Ordines ſtatum illæſæ dignitatis, imperij, religionis tuto conſervare poſsint, Qui ſi tantis viribus pollerent ut ipſum Regem regno exuere, vel Archiduces omni Belgio ſpoliare & exterminare funditus poſſent, tamen haudquaquam arbitror Deo Regum & regnorum cuſtodi facinus iſtud unquam placiturum. Nam ut haud invitus conceſſerim fato quodam deſtinatam fuiſſe uirtutem & animi magnitudinem unitarum Provinciarum ad ſufflaminandam vim atque impetum Hiſpanicæ ambitionis, quæ for-

ſan:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſan alioquin erupiſſet in exitium maximæ partis Europæorum: tamen ab initio Belgicorum motuum multa parum decenter maloque more perpetrata ſunt, non quidem publico conſilio, ſed per audaciam & temeritatem paucorum ex infima fæce plebis, quæ Regi haud immerito ſtomachum moverunt, & quorum impunitas fuiſſet exemplo pernicioſa, non tamen ita inclementer iraſcendum fuit, ut talem medicum ſanandis vulneribus adhibere debuerit, qualem experti ſunt Belgæ Ducem Albanum. Qui ſi poſt infanda facta deditus eſſet noxæ, tanquam piacularis victima, ut litaretur manibus tot heroum, tot innocentium animarum, quas illaudatus iſte Buſiris orco demitti imperavit, quantum humano more ratiocinari fas eſt, bellum non eſſet exortum, ſed omnia pacata manſiſſent in obſequio ac fide legitimi Principatus. Tandem progreſſu temporis factum eſt, ut, quod antea crimen perduellionis erat ſperare, nunc bona cum gratia, ſaltem conceſſu adverſariorum impetratum ſit, nimirum ut unitæ Provinciæ pro republ. libera cenſcantur, quo munere nihil maius, nihil excelſius vel Ordines optare, vel Rex & Archiduces donare potuerunt. Hæc ego mecum animo reputans, & alia multa quæ venire in mentem circumſpectis hominibus poterant, exiſtimabam nihil non eſſe potius amplectendum quam bellum, quod cuivis etiam ignaviſſimo auſpicari licet, cæterum ægerrime deſinit, nec eſt in eiuſdem manu principium & finis. Principium liberæ electionis eſt, finis ab armorum iudicio, & ab arbitrio victoris pendet. Quocirca diu multumque deliberandum eſt priuſquam ad illa extrema veniatur, præcipiendumque animo quidquid præter ſpem evenire poteſt: communem eſſe Martem, & ancipitem aleam bellorum, pertimeſcendam rerum humanarum inconſtantiam atque inſtabilitatem, imponendos fœlicitati frœnos, minimeque fidendum indulgenti for-

 tunæ,

tunæ , quam vitream eſſe ferunt , reſplendet illa quidem ſed momento frangitur. Fluxa eſt ideoque compreſsis manibus teneri debet ne elabatur, hanc qui nimis avide concupiſcit, neceſſe eſt male concoquat. Talibus monitis probe meditatis labebar in eam ſententiam, ut exiſtimarem conditiones induciarum æquas & honeſtas non eſſe rejiciendas. Non pigebit quidquid iſtud eſt diſſertationis heic intexere ut candorem animi noſtri, & æquitatem judicij poſteritas agoſcat.

DISSER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

DISSERTATIVNCVLA
SVPER
INDVCIIS.

QVemadmodum ijs, qui in magno mari periculis ac tempeſtatibus diu multumque iactati ſunt, nihil exoptatius votis, nihil auſpicatius viſu poteſt evenire, quam ſi Gemellorum ſydus cœlo lumen ſuum exerat, unde præſcia nautarum corda ſpem propinquæ ſerenitatis augurari ſolent: ita non eſt dubitandum quin gratiſsima voluptate ac lætitia perfundantur mentes bonorum omnium, poſtquam induciarum lux quaſi ſignum extulit ad exſpectandam inde fidam & perpetuam pacem, quæ ſola poteſt in ſolido locare fortunas & incolumitatem Belgarum, poſt tot clades atque calamitates quæ jam prope per annos quadraginta miſeros cives crudelem in modum afflixerunt. Ac licet publica ſecuritas nondum voti ſui robur ac fiduciam aſſumpſerit, tamen maxima res effecta eſt, ex quo certa ſpes affulſit diuturnas a bello & hoſtilitate ferias conventum iri. Nam & optimus quiſque confidit, & prudentiſsimus præſagit fore ut ſemel deguſtata quietis atque ocij dulcedine facilis ſit futura concordia inter fratres & conſortes populos, bonumq; illud, quod initio certis temporum ſpatijs includebatur, proprium tandem ac perpetuum evadat. Nam quis eſt tam expers humanitatis, tam ab omni fœdere averſus, tam ab ipſa natura degener, quem bella diſcordiæque civium ſua ſponte delectent? qui non malit ad tranquillitatis portum appellere, quã continuis turbarum pugnarumque fluctibus inquietari? Sed incidunt aliquando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

neceſsitates & anguſtiæ rerum huiuſmodi, vt viri fortes non poſſint aliter vitam & ſalutem ſuam ab injurijs & intolerabili ſævitia propugnare, quā ſi in Martium, ut ſic dicā, hunc campū deſcendant, non ut præturas aut cōſulatus ambiant, ſed ut ſanguinē ſuum, ut coniuges ac liberos tueantur, & quidquid apud gentes ſanctum habetur. Talis cogitatio apud benignos rerum hvmanarum arbitros aut veniam nobis, aut etiam aliquā generoſę indolis ac fortitudinis laudem aſſignabit. Neq; enim ulla magis legitima cauſa eſt arma capiendi, quā ſervitutis depulſio, quam vitæ & incolumitatis tutela contra vim & immoderatā dominationem potentiorū. Sed fauſtis potius & ſecundis ominibus proſequi convenit exſpectationē beati ſtatus qui iam in limine præſto eſſe ſperatur, quam obductas cicatrices refricare dicendo: quanquā grata ſolet eſſe, & ſolatium adfert gravia paſſis ſecura cōmemoratio præteritarum calamitatum.

—— & quæ perferre moleſtum
Antè fuit meminiſſe iuuat,

poſtquam ad finem mala pervenerunt. Vt enim ijs qui ex gravi morbo recreati ſunt iucundior eſt fructus, & acrior ſenſus reſtitutæ in integrum valetudinis, quam ſi nunquam ægri fuiſſent: ita nemo melius bona ſua novit quam ij quos ſævi labores, & ambigui caſus plurimum exercuerunt. Intelligamus igitur fœlicitatem noſtram, & eam gratis animis interpretemur, ſepoſitis malignis ſuſpicionibus quæ tamdiu hoc beatæ pacis negotium prorogaverunt. Libens aſſentior ijs qui providam & ſapientem diffidentiam opinantur eſſe firmiſſimum adverſus fraudes & inſidias munimentum: ſecuritatem contra patêre ad ictus, nec quenquam facilius opprimi quam qui nihil metuat, ac ſi in alterutram partem peccandum ſit, ſatius eſſe vanis moveri, & omnia tuta timere, quam inani credulitate velut hamo ineſcari. Sed habeat hæc diligens cautio locum, ut quæ provideri humano conſilio poſſunt ante commentemur, & animo præcipiamus, ne veniendum ſit ad inconſide-

rantiæ

rantiæ excuſationem NON PVTARAM, quam ſcopulo peius formidare debent ij quibus populi ſalus concreditur. In hac parte non poſſumus eſſe nimium timidi, minuſque proni ad bene ſperandum: heic decet unumquemque pro communi bono, ut cum Latino Rege loquar,

Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.

At vero ſequeſtranda eſt intempeſtiva moroſitas, & nimia ſollicitudo, ſi futura ſit impedimento quominus res maxime utiles ac ſalutares ad optatum & fœlicem exitum perducantur. Facerem temere, & privati hominis modum ac modeſtiam excederem, ſi curioſius inquirere auderem in actiones eorum qui ſedent ad clavum imperij, & quorum curæ ac vigilantiæ permittitur ut videant ne quid reſpublica detrimenti capiat. Nefas ſit dubitare, quin tanto quiſque impenſius libertati cautum voluerit, quanto ſcrupuloſior eſt in evolvenda conceptione verborum, quibus abſque omni cavillo & circuitu planum & perſpicuum fiat nos eſſe populum utentem noſtris legibus, omni nexu fidelitatis aut clientelæ, omnique iure alieno ſolutum. Sed ubi ſubſcripta & obſignata fuerint omnia quæ a verſutiſſimis ingenijs ad tollendas omnes exceptionum ambages excogitari poſſunt, quid erunt iſta præter vocabula artis? præter cantiones formularum? præter literas & voces? Infirma ſanè ſunt hæc fidei vincula, nec idonei obſides diuturnitatis, niſi magnates ultro ſibi legem dicant, ne ulla ſpe vel ingentis commodi, neve ullo prætextu recedere velint a promiſſis. Nihil eſt in hominum ſocietate fide ſanctius, nihil in rebus divinis iurejurando. Sed ſi quis, ut ait Tragicus, linguâ iuret mentem injuratam gerat, præſertim regni gratia, quo pretio IuliusCæſar ius violandum eſſe dicebat, & reipſa violavit: jam nihil erit ad decipiendos ſimplices efficacius religione ſacramenti. Nonne magna pars eorum qui in ſummo dignitatis faſtigio verſantur, verum eſſe comprobāt id quod a Lyſandro dici ſolitum accepimus, pueros ludere

aſtra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

aſtragalis, principes periurijs? Nunquam deerit hominibus ad fraudem paratis color, aut effugium ne pacto ſtetur cuius eos pœniteat, idque nullis fœderum aut conventionum formulis vitari poteſt. Idcirco etiam potentiſsimorum Regum ac Principum Legati dominorum ſuorum authoritatē in hanc cauſam obligare parati ſunt ut ſecuritati noſtræ conſulatur. Porro conditiones & leges penè dicam horrendi carminis , quæ poſtulantur a principibus in altiſsimo rerum humanarum faſtigio conſtitutis, cum nullam contineant evidentem utilitatem, nec aliud quærant præter contumeliam ſceptrigerorum monarcharum, non videntur proponi animo impetrandi, ſed ut aliquo iuſti colore negotium omne pacis aut induciarum conturbetur. Aiunt iuris conditores non eſſe hominum malitijs indulgendum, idque ſatis ſuperq; dictat communis ſenſus. Quid porrò minus ingenuo & candido pectori convenit, quam id poſtulare, quod nec tibi proſit, & officiat alteri? Sunt qui contemptim traducunt, & ſermonibus extenuant vim illius ſive agnitionis, ſive declarationis, qua ſtatus noſter tāquam reſpublica liberæ gentis ab adverſa parte nominatur. Sanè nihil inde fit accipientium, nec ad nos quidquam redit, niſi quarum rerum poſſeſſionē ſanguine ac ſudore per annos plurimos velut uſucapione partam habemus: & quidem ita ut maxima pars Chriſtianarum gentium perſuaſum habeat cauſam noſtram optima lege fundari. Sed ſi ſpectetur majeſtas & immenſa magnitudo Regis Hiſpaniarum, vix timida votorum nuncupatione quidquam maius a Deo immortali ſperare poteramus. Quis enim unquam credidiſſet poſt tam diuturna bella per populum olim ſubditum geſta cum tam potenti regnatore, futurum ut avito patrimonio deiectus, non tantum reconciliationis ſpem & præteritorum oblivionem oſtenderet, verum etiam ſua quodammodo confeſsione, nos legitimo jure ſubnixos eſſe pronuntiaret? Id nobis & ad famā honorificentius, & ad ſpem ſtabilitatis firmius, & ad exiſtimationem

vicinorum ſpecioſius videri debet, quam ſi diſertioribus verbis ſignificarent adverſarij ſe nobis in perpetuum cedere & reſignare omnia jura, nomina & obſequia, quibus antea Auſtriacæ domui devincti eramus. Nam hoc pacto libertatis noſtræ titulus originem ſuam caperet ab eorum beneficio, nec ad retrogeſta vim ſuam extenderet. Nos autem publico jure & ſacratarum legum authoritate cauſam noſtram munitam eſſe dicimus, nec pendêre ab alieno conceſſu. Non enim infinitam poteſtatem permiſſam eſſe principibus in Belgas, ut ijs qui bello victis leges pro arbitratu imponunt; ſed adſtringi certis privilegiorum ac rituum formulis, a quibus ſi recedāt, nec moniti meliora ſequantur, tunc Ordinum ſit providere ut reſp. bene adminiſtretur. Hoc fundamento niti libertatem noſtram aſſerimus, nec ſine nota prævaricationis alium titulum ambire debemus: alioqui multum decedet de cauſæ publicæ dignitate, ſi fiduciarium jus ad hocuſque tempus habuiſſe cenſeamur. Quid quod communi opinione prudentium receptum eſt iura Maieſtatis in poſterorū præjudicium nec cedi, nec ullo quantumvis longiſſimo temporis ſpatio præſcribi poſſe? Reges enim pupillis comparantur in adminiſtratione eorum quæ ad ſtatum imperij pertinent, & in integrum reſtituuntur ſi quid perperam alienarint. Tutores enim & depoſitarij ſunt publicæ ſalutis, ut rem populi ſalvam fore, & non everſum iri procurent ac ſpondeant, ut depoſitum cuſtodiant, non ut intervertant. Quin & amabilis ille error pleriſque Cæſaribus utiliter inſedit, ideo ſe Auguſtos appellari quod imperium augere debeant, non imminuere nec debilitare. Aut igitur prorſus excludenda fuit omnis de pace vel inducijs diſceptatio, aut eo contenti eſſe debemus, quod more maiorum, quod incolumi Regum Majeſtate, quod ſalvo jure ſalviſque legibus concedi poteſt. Hoc pacto ſatius eſt a volentibus obtinere minam, quam talentum per importunam efflagitationem. Ex formula fiduciæ inter bonos bene agier

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

oportet, ex diſciplina humanitatis quidquid honoris detulerimus ſceptris, & tiaris, dum ea comitas nullam libertati labem aſpergat, nihil de vera magnitudine ac potentia decerpat atque imminuat, eo plus commoditatis, & invidiæ minus conſequemur. Id conſilium nobis datur a magnis Regibus optime erga nos animatis, & quibus rerum noſtrarum ſtatus ad liquidum perſpectus atque exploratus eſt: qui nec ob prudentiam facile decipi poſſunt, nec ob innatam animi generoſitatem decipere vellent gentem obſervantiſſimam ipſorum Majeſtatis. Cæterum & ſi magnæ molis deliberatio tardos ſolet habere progreſſus, & minime faciles explicatus in adminiſtratione populari, ubi tot capita ſunt, tot ſententiæ: tamen illud non eſt in dubio ponendum, quin unum omnes ſentire debeamus. Neque enim tam ad rerum noſtrarum ſummam pertinet conſultare utrum induciæ placeant an bellum, quam omni ope cavendum eſt ne diſſenſione ac pertinacia (quæ plerumque rem in diſcrimen adducere ſolet) recta, & reip. ſalutaria conſillia corrumpantur. Facto heic & maturato opus eſt, ne, ut in lentis & contentioſis deliberationibus ſępe accidit, ea videantur optima quorum tempus & oportunitas effluxit. Vitia omnia & incommoda quę ex armorum intermiſſione metuuntur una re declinari facillime poſſunt, ſi in medium conſuluerimus, ſi concordes erimus, ſi prudenter & circumſpecte nos geramus, intenti ad omnes eventus ne quid præter exſpectationem imparatis objiciatur. Sed ij qui tam ſedulo recenſent cauſas formidinum ad alendam in perpetuum diffidentiam, ut ſic inter fratres duret immortale bellum quod ſola contrariæ partis internecione finiri queat, veluti incendium quod ruina reſtinguitur, poſtquā nihil amplius ſupereſt quod igne abſumatur: ij tanquam importunæ muſcæ locis impolitis adhæreſcunt, lævia prætervolant, nec ex adverſo perpendunt quanta bona, quantæ commoditates ex inducijs ſperari debeant. Multi rerum temporumque conſulti in ea ſunt opinione,

nione, ut exiſtiment magis in rem noſtram fore pactionē induciarum, quam ſi ex tam diuturno & lamentabili bello proceſſus continuo fiat ad concludendā pacem, quę (præter quod omnis mutatio ſenſim ac pedetentim induci debet, nec uno impetu tranſeundū eſt ex alio in aliud extremum) forte nec fida, nec diuturna foret. Exemplis enim & vetuſtis & recentibus compertum eſt, inducias plerumque ſacratiores eſſe, ac minus violabiles, quam fœdera perpetuæ pacis. Cui experientiæ ratio etiam aliqua ſuffragatur. Nam cui conventa pax diſplicet, vix alio pacto poteſt animū explere, & offenſiones ſuas ulciſci quam fidē violando. Qui non probāt inducias, exſpectatione finis dolorem ſuum frænant, ac moderantur. Quid non commodi ſperandum eſt, ut alia tacitus prætercam, ubi ſine mutuo metu ultro citroq; commeare licebit? dextras jungere? notas audire ac reddere voces? propinquos & amicos longo poſt tempore viſitare? An non veriſimile eſt ex tali converſatione mentes eiuſdē gentis in unū coalituras, quas arma diſtraxerunt? An non arbitramur fore ut communiter & certatim pro ſe quiſque dirum Martem exſecrentur? An non illud cuivis liquet, Brabantinos, Flandros, Hannones, Arteſianos & quantum pene eſt Belgarum ſub imperio ac ditione Archiducum, ardentiori pacis & compoſitionis cupiditate efferri quam noſmet ipſos? ſi non affectu & animorum inclinatione erga nos, ſaltem commodi ſui ſtudio, & ſpe florentioris fortunæ. Vident enim quod omnibus perſpicuum eſt, res opeſque noſtras bello creviſſe, ſuas contrà paulatim atteri velut tabe quadam, & ſemper abire in peius, nec unquam Batavos ac Zelandos meliore loco fuiſſe, quam in quo nunc ſiti ſunt. Cæterū hæc tanta fœlicitas non humanis viribus aut conſilijs, ſed divino favori tribuenda eſt, cuius ope per tot annorum curricula bellū geſſimus cum potētiſſimo terrarū monarcha. Diſcamus ergo bene ferre magnam fortunā, eamq; reverenter habeamus, ne ex inſolentia ſequatur rerum commutatio. Multi temere & im-

perite ſupra modum extollũt potentiam noſtrarum partium, nec ſatis magnitudinẽ hoſtis expendunt, quo nullus (cur enim ſileatur veritas?) ab orbe condito latius imperitavit. Si quid in eo eſt imbecillum, ideo fit quia tantæ molis eſt ut ſe toto uti non poſſit, & quia omnis nimia magnitudo ſuis ipſa viribus fatiſcit. Illud quod ante dixi repeto (neque enim ſatis unquam celebrare poſſumus divinam erga nos indulgentiam & miſericordiam) miraculo tamdiu ſtetimus contra tot regnorum ac regionum dominatorem, cuius immenſæ ditiones ijſdem penè metis ac ſpatijs, quibus ſolis curſus, terminantur. Ea porro quæ divinitus accidunt, & a maiore vi proveniunt raro & inuſitato Numinis favore, non ſunt trahenda in exemplum, nec ad conſequentiam produci debent, alioqui ſub velo religionis pernicioſe erraremus. Non eſt ergo cur ob virium noſtrarum fiduciam gloriemur, & ſuperbe reſpuamus ſub honeſtis legibus conditionem induciarum. Illud potius vereri convenit, ne ſi tam præclaram occaſionem ex conſilio ſummorum Regum ac Principum oblatam repudiemus, ſero poſtea eandem quæramus & queramur ademptam. Non ſemper præpotentibus dominis idem manet animus, nec fallaci auræ nimis fidendum eſt. Fortunam vitro conſimilem eſſe ferunt, reſplendet illa quidem, ſed levi momento frangitur: eam qui nimis avidè inhiat, malè concoquit, & velut dulci temeto victus lymphari ac luxuriare conſuevit. Æqua mens ſibi frænos imponit, & fortis apparet in adverſis, nec rebus proſperis ultra terminum moderationis evehitur, aut ſe felicitate corrumpi ſinit. Heic occurretur iterum ab ijs qui nodum in ſcirpo quærunt, & erit, inquient, ut per oportunitatem induciarum hoſtis fortunas ſuas conſtabiliat, potentiamque & opes ita firmet, ut nulla vi poſtea pares ad reſiſtendum eſſe poſſimus. Quaſi vero nunc exiguus ille terræ limbus quem inſidemus, cum illius latifundijs ſit ulla ex parte conferendus. Et verò quid obſtat quin & ipſi utamur commoditate pacati

temporis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

temporis ? quin ex præcepto medicorum caveamus in proſpera valetudine ne adverſæ præſidia conſumantur? quin attenti ſimus ad ærarij vires recte diſpenſandas? quod quidem nervos eſſe belli fateor, nec diſciplinam ſervari poſſe a iejuno exercitu: ſed & imperij dignitas, & ornamenta pacis ſine tributis ac vectigalibus ſtare non poſſunt. Verum ſunt alia longe præſtantiora, quibus populi ſalus, & rerum publicarum fortuna continetur. In eo genere ante omnia eſt erga Deum Religio, quæ conſcientiam mentis noſtræ regit: eſt item erga homines Iuſtitia, quæ iuris ac legum ſanctione fundat humanam ſocietatem: poſtremo cura morum bonorum, vigorque diſciplinæ, ſine qua maximæ res & opes, tanquam corpus anima ſpirituque defectum, ſua mole collabaſcunt. Hæc potiſſima fulcra & firmamenta omnis politici ſtatus, quæ concuſſa ſunt belli ipſius impetu, pacis beneficio rurſus in priſtinum reſtituenda ſunt, & ſalutaribus conſilijs vincienda, quæ per civiles motus pene collapſa fluxerunt. Hoc ſi fiat, & ſi ſepoſitis diſſenſionibus ac factionibus omnes unum idemque ſenſerimus, facile nos adverſus externam vim tutabimur. Sin invicem collidemur inteſtinis certaminibus, non erit recuſandum quin malo mulctemur, quod ipſi nobis Marte noſtro conſciverimus. Equidem aſſentior eos qui rebus gerendis preſunt, illud in primis ſpectare debere, quum agitur de finiendo bello, vel incundis fœderibus, utrum ij, qui pacem proponunt, inſidientur temporibus, & id faciant adducti neceſſitate rerum ſuarum: an vero ſponte, & impulſu benignæ voluntatis, aut (quod eodem pene recidit) tædio ſumptuum & malorum, quæ bello civili comitantur. Nimis ſane nos circumſpicimus, & vires noſtras falſo modo metimur, ſi credimus hoſtem eo loci redactum eſſe, ut ad indignas Majeſtate ſua conditiones delabi cogatur. Ac de Archiducibus quidem, vix ulla probabilis cauſa eſt cur dubitetur, quin ex animo pacem malint cum certiſſima ſecuritate, & omni affluentia rerum optimarum, quam per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

petua bella cum ingentibus impenſis,& quotidiano diſcrimine ſubditorum. Placidam eorum mentem adhuc magis mitigat orbitas,& prolis deſperatio. Hinc veriſimile eſt eos potius de regundis imperij finibus eſſe ſollicitos,quam de propagandis. Ambitio quanquam potentium mentes fatigat, plerumq; tamen friget ubi deficit ſuus hæres. Nec eſt deſperandum quin Regem ipſum Hiſpaniarum ſeriò pigeat tamdiu piſcari aureo reti,tantaſque opes effundere gerendo bello cum gente quæ

Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Quod autem nonnulli verentur,ne data ultro citroque commeandi facultate,paſſim huc illabātur,& in viſcera ſtatus noſtri obrepant emiſſarij atque artifices factionum, qui largitionibus & promiſsis, aut (quod utroque potentius eſt) obtentu religionis,fidem & animos civium labefactare conentur: id non eſt de nihilo. Sed quorſum alio tendunt leges,& eorū cuſtodes magiſtratus,niſi ut in tales diligenti indagine anquiratur,& adverſus convictos exemplū ſtatuatur? An in tali periculo patiemur hebeſcere aciem publicæ authoritatis? an curatoris egent noſtri Ordines,quaſi rebus ſuis ſupereſſe non poſſint? Si per civiles diſcordias, quæ vim imperij reſolvere ſolēt,non defuit oportuna ſeveritas , an tempore pacis aut induciarum iura judiciaque ſilebunt? Nec eſt quod falſa fallaciq; ſpe lactemur,nobiſque palpum ipſi obtrudamus, quaſi principibus ijs qui pacem aut inducias ſuadent,tantæ curæ ſit,aut eſſe debeat noſtra ſalus & incolumitas,ut nunquam paſſuri ſint, quoad in ipſorum erit manu,nos ſub hoſtium poteſtatem ac ditionem redigi,ne ſupra modum increſcat magnitudo vicinorum,ut ſi nacta ſit materiem ambitioſam & Martialem , facile impelli poſſit ad invadendam alienam poſſeſsionē. Reges enim moderatores ſunt , & arbitri ſuarum actionum,nec ab alterius auſpicio conſilium ſumunt. Vt nihil dicam de ſiniſtra curioſitate eorum, qui tam temere ſecretos magnatum receſſus,& intimas

mas cogitationes rimantur, quique ſciunt quod neſciunt: quid opus eſt conjecturis in re perſpicua, quum de cõtraria eorum voluntate ſatis liqueat? Nulla ratio ſuadet, nulla vis cogit ut aliud verbis oſtentent, aliud corde meditentur. Talis ſimulatio non cadit in illuſtres heroum animas. Alter bellorum inexpertus, & paci ſemper aſſuetus ingenio ad eam & affectu totus fertur, adeo ut nullis ſpecioſis conditionibus a propoſito demoveri potuerit, quin pacẽ cum Ibero feriret contra multorum ſpem & ſtudia minimè obſcura, quæ labantẽ animum in contrarias partes rapere potuiſſent. Galliarum Regem magnitudinis ſuæ ſecurum ſola benevolæ mentis indoles hortata eſt, ut & antè nos ingentibus ſubſidijs adiuverit, & nunc idem animus incitat ut nos ſalvos eſſe velit etiam invitos ac reluctãtes, quod optimum eſt miſericordiæ genus. Alioqui quis neſcit naturali divortio Reges & reſpublicas inter ſe diſsidere? Sic illis cordi ſumus ut habeant etiam rationem dignitatis, ut ſe reſpiciant, & famam vereantur, ne quid feciſſe velint quod incommodis opinionibus materiam, aut occaſionem ſubminiſtret. Illa verò capitalis & pernicioſa opinio longe ſegreganda eſt, quæ tamen velut oraculum inculcatur multorum mentibus, nimirum nos incolumes & ſalvos eſſe non poſſe, niſi continenter in armis ſimus, & abſque ulla miſſione digladiemur more prædonum ac piratarum, quorum vita ſemper ſub ictu eſt, atque in acie ferri verſatur. Sanè ſi tam dura lege viveremus, quis generoſa virtutis indole præditus non optaret ſemel mori potius, quam hac perpetua ſollicitudine conflictari, ut ille purpurarum cultor

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet?

Sed non ita res habet, & tam deteſtandum omen Deus avertat. Omnia ſecuritatis humanæ præſidia, & pignora nobis ultro ſuppetunt, niſi nobis deeſſe velimus. Adſunt & conſilij authores, & fidei ſponſores Legati maximorum Monarcharum

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

& Principum , qui nos tranquillo animo eſſe iubent, & rata fore ſpondent ex perſona ſuorum Dominorum , quæcunque pacto induciarum continebuntur. Neque tamen inficiari velim opus omnino fore, ut præſidiario milite firmentur urbes limitaneæ, finitimæque hoſtili agro , ne quid ex improviſo mali oriatur. Neſcio an præ ſtudio ritu Sabinorum ſomniem quod velim, ſed hac jucunda opinione ſuſtentor, ſequuturam mox pacem ubi ſemel hanc amabilem otij loton deguſtare inſtiterimus. Quemadmodum aiunt ijs qui ex Clitorio fonte biberunt oboriri vini tædium, ita capiet nos ſatietas bellandi ſimulatque dulcedo ſequeſtræ pacis manare ad ſenſus, & in animos influere occeperit. Aure ſurda pręterlabendi ſunt Sirenum cantus , qui nullam ſpem incolumitatis ponunt niſi in continuatione miſeriarum , atque in omnium rerum perturbatione. hoc eſt qui in turbis otium, in naufragio portum quęrunt. Ingenioſis hominibus patet uberrima dicendi materies, quum ſiniſtræ & inſidioſæ pacis mala commemorantur. heic luſciniolæ nunquam deeſt cantio. Nec ego ne nihil timeamus moneo; ſed ut timorem noſtrum ſana ratio, & communis utilitas moderetur, non quæſitæ ex alto cauſæ ſuſpicionum. Sunt enim nonnulli augures ſiniſtri iudicio ſuo valde ſapientes, qui non tantum ea quæ ante pedes ſunt vident, ſed etiam in poſterum longe præſentiunt. Hi valde ſcilicet de perpertuitate imperij, deque publica ſalute ſollicití quærunt , etiamſi pactæ induciæ bona fide ſerventur, quod vix futurum ominantur, dum *metuunt Danaos, & dona ferentes:* quid nobis denique futurum erit ubi tempus pactione definitum præterierit? Iuſtius eos interrogare poſſem, quid nobis hoc puncto temporis fiet ſi oblatas conditiones aſpernati erimus? quid non miſeriarum perpeſſuri ſumus, quid non adituri periculorum , ſi ab omni apparatu parum inſtructis , ab amicorum præſidio derelictis iterum ad cædes & prælia veniendum fuerit? Quid ſi in acie fuſi fugatique erimus, & aliqua notabili pugna vincamur , ut

eſt Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

eſt Martis alea ſemper anceps & incerta? nec nobis res eſt cum imbelli, vel imbecillo hoſte, quam tum arbitramur fore miſerandam conditionem noſtri ſtatus? Hactenus auxilio atque opibus duorum magnorum Regum adiuti ægre tamen ſuſtentavimus, quid futurum eſt ubi repudiato eorum conſilio ſub cultro ſoli linquemur, ut etiam merito paſſi eſſe videamur quidquid evenerit calamitatis? Iam verò ſi minæ erumpant in nervum, & ſtudio certaminum ad cætera vulnera noſtræ reip. malorum extremum accedat, diſcordia Provinciarum, diſtractioque a communi cauſa, quæ ſalus nos ſervare poterit, quum animis viribuſque juncti pares non ſimus?

ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες.
Hoc hoſtis velit, & magno mercentur Iberi.

Tamen non deſunt qui hoc exitiale diſcidium authoritate patrij moris, & privilegij cuiaſdam prærogativa defendunt, ut cum ratione inſanire videantur, quaſi in tanta re nihil ſtatui poſſit niſi conſpirantibus in unanimem ſententiam omnibus Provincijs: quod quidem verum eſſe fateor, ſed pernicioſiſſimum exemplo foret tali prætextu quaſi per concuſſionē bono publico remoram objicere, & ſanioris partis cōſenſum impedire. Non ſunt habenda pro legibus quæ contra ſalutem reipublicæ tendunt. Nulla re magis conciderunt potentes populi, quam libertate diſcordi, & intempeſtiva privilegiorum obſervatione. Nec immerito culpatur Cato. vir alioquin omni laude abſolutus, quod quum patria eſſet in extremum adducta diſcrimen, nimis antiqui moris retinens fuerit, & ita vitam inſtituerit quaſi fato delatus eſſet in remp. aliquam Platonis, non autem verſaretur in fæce Romuli. Vir ſapiens enim, & bonus civis tempori conſilia ſua accommodabit, ne fruſtra obnitendo prævalidis, & ingraveſcentibus vitijs ſententiam dicat cui nemo ſuffragetur, aut obtemperet. Legum oportunitates, ut remedia quæ corporibus adhibentur, leniter inflecti debent, aut interdum planè tolli, ſi id exigat ſuprema legum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

omnium norma, ſalus populi. Nulli fuerunt obſervantiores rhetrarum a Lycurgo latarum quam Spartani. hoc ipſo gloriabantur, inquit Xenophon, & ingentes animos tollebant quod humili obſequio ſeſe ſubmitterēt patriæ legibus. Quum autem per eas non eſſet permiſſum ut idem bis præfectus maris crearetur, & tamen omnino communis utilitas poſtularet ut Lyſander eo munere fungeretur: Aracum quempiam declararunt titulo tenus claſſis præfectum, ſed ſpecie legationis totam poteſtatem Lyſandro tranſcripſerunt. Iidem quum ea tempora incidiſſent, ut neceſſitati potius quam conſuetudini parendum eſſet, dixiſſe feruntur, dormiant hodie leges. Scipio Africanus, quum ad neceſſarium reip. uſum planè opus foret ut ex ærario pecùnia promeretur, nec id facere auderent quæſtores, quod ſe lege prohiberi affirmarent: claves popoſcit, & cum dicto ærarium aperuit, ac legem utilitati cedere coëgit. Quæ reip. ſalutaria ſunt ea ſalvis legibus, & bono more fieri cenſentur: hoc ius ipſe Iupiter ſanxit, &, ut aiebat magnanimus Hector, optimum eſt auſpicium pugnare pro patria. Si quis itaque roget, quis exitus nos manebit ubi fuerit elapſum tempus induciarum, longè iuſtius ex eo quæram, quem finem habitura ſunt hæc civilia bella? quæ mens eſt noſtrorum armorum? quis ſcopus? quis terminus? Omne bellum juſtum ac legitimum ea ſpe & cogitatione ſuſcipitur, ut ſine injuria in pace vivatur. —— *Pax optima rerum*

Quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
Innumeris potior.

Pacem intelligo quę ſeiunctaſit a pactione ſervitutis aut ignominiæ, quæ nihil habeat inſidiarum, quæ talis ſit in receſſu qualem dulce nomen promittit. Etiam ſi nobis ad bellandum obſtinatis omnia proſpere feliciterque ſuccedant (quod tamen temere augurari non oportet, quum Deus oderit nimis avaras & immodeſtas cupiditates) quid amplius iure nobis eſt ſperandum, quam ut noſtra conſervare poſsimus, neu modum egre-

egrediamur inculpatæ defenſionis? Non enim ſi legitima cauſa fuit cur ab Hiſpaniarum Regis ſacramento deficeremus, eadem nobis militabit ſi eos fines exceſſerimus,

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Porrò quum nullo non tempore ſuſpecta nobis eſſe debeat inconſtantia rerum humanarum, varietaſque deſultoria fortunæ: tum nunquam magis cohibendi ſunt inſolentes ſpiritus, quam quum omnia ad nutum & voluntatem fluere videntur. Etiamſi viribus pares eſſemus (quod eſt ſummæ impudentiæ nobis arrogare) etiam ſi ſuperiores, tamen in ipſa victoria quæ plerumque negligentiam creat, & a rectè conſulendo abducit, maximè paci ſtudendum eſt, nec exſpectandum donec atrati eam petere cogamur , ut aiebat Demades popularibus ſuis intempeſtiva dimicandi cupiditate flagrantibus. Quum perlatus eſſet Carthaginem nuncius victoriæ Hannibalis ad Cannas, qua penè ad exitij metam venit Romanum imperium, videbatur nefas injicere ullam pacis mentionem : non eo ſegnius tamē Hanno Barchinæ factionis adverſarius, quem ſemper belli contra Romanos ſuſcepti pœnituit , prudenter hortatus eſt ſuos cives, ut in ſecundis rebus fortuna uti vellent, & de pace potius quam de bello togitarent. a *Nam ſi*, inquit, *prætermittimus hoc tempus quo magis dare quam accipere poſſumus videri pacem : vereor ne hæc quoque lætitia luxuriet nobis ac vana evadat*. Nec falſus vates fuit. Nam quum tunc temporis ab animis ingenti lætitia occœcatis repudiata eſſet eius ſententia, ſerò poſtea a Senatu laudata fuit, quum eo redacti eſſent miſeriarum, vt quas conditiones antè ferre poterant, eas deinceps ſuppliciter orando non impetrarint. Mentes enim hominum dulci fortuna quaſi inebriantur, ne videre poſſint quæ ſunt ex uſu. Quem caſum vitare cupiens Cæſar b ſcribit *hoc unum eſſe tempus de pace agendi, dum ſibi uterque confideret, & pares ambo viderentur : ſi vero alteri paullum modo tribuiſſet fortuna, non eſſe uſurum conditionibus pacis eum qui ſuperior videretur , neque*

a *Livius* XXIII. *lib.*

b III. *lib.* *de bell. civ.*

quefore æqua parte contentum, qui ſe omnia habiturum confideret. Quum igitur noſtræ vires & opes, cum immenſa magnitudine ac potentia Regis Hiſpaniarum ſine fœdo errore calculi conferri non poſſint: quæ ſpes, quæ fiducia nos inflat ut utilitati, vel neceſsitati potius animos ſubmittere dedignemur? Pacem quidem arbitror magis in rem noſtram, exque dignitate publica videri: ſed quum in præſentia multis haud expediti conſilij difficultatibus obſeſſa ſit ad eam via, fruamur interim uſura tranquillioris ſtatus, & in lucro deputemus, quod tantiſper a mutuis funeribus ceſſabunt manus. Quid enim? An nondum ſatis effuſum eſt fraterni ſanguinis? an nondum ſceleris & cicatricum pœnitet? Quin potius, ſi tantopere bella cordi ſunt, ferrum convertimus in hoſtem communem Chriſtiani nominis? Illic exerendæ virtutis ſeges creſcit, illic ad triumphum ſacra via ducit, illic honoris campus patet. At enim duplex heic difficultas objicitur, quam niſi ſummoveamus omnis a publico conſilio ſpes induciarũ excludi videtur. Aiunt enim homines non imperiti rerum, nos opinione hoſtium pro infidelibus haberi in cauſa religionis, & in ſtatu politico pro reis læſæ Majeſtatis ac fœdifragis: nec obſtare quod obſignatis literis pronunciamur liber populus. ejuſmodi enim teſtificationem non immutare naturam rerum, quum vulgo dici ſoleat proteſtationem actui coutrariam nihil operari, pluſque in talibus valere quod in receſſu mentis occultatur, quã quod verborum formula concipitur. Porrò nec hæreticis fidem eſſe ſervandã, nec Principẽ paciſcendo cum ſubditis perduellibus ullo nexu obligari: rectius quidẽ & ex dignitate facturum, ſi ſe nulla conventione implicari patiatur. ſin ſecus fecerit, eum aut ipſo iure non teneri, aut ad maiorẽ cautelã haud difficulter a Romanæ ſedis Prætore reſtitutionẽ in integrum, ſeu abſolutionem impetraturum. Duas igitur conditiones obſtare quominus Rex Hiſpaniarum & Archiduces ullis pactis aut conventionibus ultra teneantur quam ipſis commodum ſit.

Primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Primum quod judicio eorum iampridem damnati ſumus hæreticæ pravitatis, ideoque nullo iuris humani divinique conſortio digni cenſemur. Deinde quod extra cauſam religionis habemur pro ſubditis rebellibus, & idcirco nobiſcum non tanquam cum iuſtis ac legitimis hoſtibus, ſed tanquam cum piratis & publicis prædonibus agendum eſſe exiſtimatur, adverſus quos iura belli non ſervantur. Hæc ſpecioſe dicuntur, & non nihil ex vero trahunt. Tamen ſi levato velo rem ipſam inſpiciamus, plus Panici terroris habent quam periculi. Nam quod decreto Conſtantienſis ſynodi ſancitum eſſe fertur, fidem hæreticis ſervari non oportere; Iohannes Huſſus crudeli ſupplicio triſte documentum præbet, quam parum præſidij fuerit in ſalvo conductu Cæſaris, adverſus vim & violentiam purpuratorum patrum, qui hominem innocentiſſimum vivicomburio ſuſtulerunt. Sed quæſita eſt latebra periurio ex calumnia quadam, & malitioſa iuris interpretatione. Negant enim Cæſari fas fuiſſe publicam fidem concedere in fraudē & præjudicium Eccleſiaſticæ juriſdictionis. Signavit Cæſar, inquiunt ſævitiæ & injuſtitiæ patroni, reſignavit orbis Chriſtianus maior Cæſare. Quæ quidem defenſio non minus eſt incivilis & inverecunda, quam ipſum violatæ fidei facinus ac flagitium. Nam ut hoc illis ex liberalitate concedatur de quo tamen acerrima controverſia eſt, Cardinales & Epiſcopos qui iſthuc venerāt fuiſſe concilium recte atque ordine congregatū in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis ad propagandā Dei gloriam, & ad procurandam Eccleſiæ reformationem tum in capite, tum in membris: unde nam datum id ſibi ſumunt ut authoritate Cæſaris abuti licuerit ad ineſcandas & illiciendas in fraudē credulas mentes hominum, qui alia lege non erant ſe commiſſuri judicio capitalium inimicorum? Quid Imperatoriæ Maieſtati relinquitur præter inanem magni nominis umbram, ſi fidem ſolenniter datam obſervare non potuit niſi quatenus infenſiſsimis hoſtibus viſum fuit, qui

non benignum cognoſcendi animum, ſed implacabilem condemnandi ſævitiam domo attulerant? Nullo colore niſi admodum longe quæſito excuſari poteſt facilitas Cæſaris, qui conſcientiam ſuam paſſus eſt alio pacto liberari, quam præſtando quod promiſerat. Non fuit in poteſtate totius concilij, nec cuiuſquam mortalium ſolvere eius animum nexu religionis quo ſe ſua ſponte devinxerat. Etiamſi Huſſius nefariorum criminum manifeſtus fuiſſet quæ flammis ultricibus expiari deberent: tamen reſtituendus erat unde venerat, & remittendus ad ſuum judicem ut in eum lege ageretur. Nullius enim quamlibet impuri ſceleris prætextu fides publica frangenda eſt, niſi novum aliquod facinus poſt eam impetratam admiſſum ſit, ideoque Papa Iohannes XXIII qui paulo poſt Pontificatu dejectus fuit, quum eius præſidio ac patrocinio perſona Huſſij commendaretur, non abſque cauſa voces has protulit, etiamſi, inquit, germanum fratrem confodiſſet non patiar ut ipſi fiat iniuria tantiſper dum Conſtantiæ commorabitur. Sed ut ex actis apparet nunquam legitime convictus fuit ulla ſacrarum Scripturarum authoritate. Subvertit optimũ virum prævalida conſpiratio adverſariorum, & error ita vetuſtate corroboratus, ut aures ad omnem veritatis vocem obturatæ eſſent, nec oculi ferre poſſent lucem verbi divinitus inſpirati. Deniq; quum Eccleſiaſtica progenies neget ſibi fas eſſe quenquã occidere, quid cauſæ adferre poſſunt præter immanẽ explẽdæ ultionis aviditatem dimittere quin Cæſar receptum in clientelam, debuerit. quum ſæculari brachio traditus eſſet? Ab hac arce dejecti confugiunt ad aliud diverticulum, & aiunt ſecuritate Imperatoria tantum caveri in eum caſum ne vis ulla fiat quominus libere ad cauſam dicendam veniret, non autem ut adverſus contumacem & refractarium iuris exſecutio retardetur aut impediatur. Sed contrarium liquet ex verbis ipſius reſcripti, quæ latiſſime concepta ſunt, & pleniſſimam poteſtatem tribuunt eundi ſine ullo metu, ac redeundi. Vertant igitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

tur ſe in omnes formas qui qua jure quave iniuria Pontificiam tyrannidem defendere contendunt, non tamen efficient ut Huſſus iure cæſus eſſe videatur, aut ut in eius perſona fas gentium non ſit impia fraude temeratum. Nam in hac materia parum aut nihil ad rem facit conditio perſonæ cui fides datur. Etiam latroni & prædoni vir bonus data fide dimiſſus pretiũ redẽptionis ſolvet, & iure ſummo tenetur niſi ex edicto Prætoris quod metus cauſa geſtum eſt in integrum reſtituatur. Conſcientia enim promittentis ad votum exſolvendum religione adſtringitur, nec alius eſt modus vitandi perjurij, quã ſi pollicitatio lædat pietatẽ aut manifeſtam turpitudinem contineat, ut eam ſervare perfidia ſit potius quam propoſiti conſtantia. Iuſiurandum enim non debet eſſe vinculum iniquitatis. Nihil igitur adferri poteſt quod nimiam Cæſaris indulgentiam excuſet, qui a purpuratis patribus manſuetam indolem ſuam expugnari paſſus eſt ut a ſe ipſo deſciſceret. Hieronymo Pragenſi commeatum obtulerunt, ſed qualem ægrotus leo permittebat beſtijs ad ſe viſendum accedentibus, ubi apparebant veſtigia

Omnia ſe adverſum tendentia, nulla retrorſum.

Quocirca ſimplicius eſt confiteri, tum factum ipſum prorſus illiberale atque inhumanum, tum decretum improbum videri, quo labefactatur ab imo fundamentũ humanæ ſocialitatis. Lex illa ſanguine ſcripta per deſuetudinem evanuit, nec ulla, quod ſciam, exẽpla præterea occurrũt ubi fides publicè data vel hæreticis ſervata non ſit. Actum hoc quidẽ fuit Vormatiæ ut in Lutherum ederetur exemplum ſimilis perfidiæ, ſed irrito conatu. Nam nec Cæſar eam labem Majeſtati ſuæ nominiq; Germanorum adſpergi paſſus eſt, & vehementer præ cæteris conſilio exitiali fertur interceſſiſſe Ludovicus Elector Palatinus. Quod de perduellibus dicitur, ſcio conuentiones eas, quibus Principes paciſcuntur cum civibus olim imperio ſuo ſubjectis, egere multiplici cautione: quum plerumque nihil altius

in ma-

in magnatum pectora deſcendat, quam offenſarum memoria, cupiditaſque vindictæ, licet odium & iras ad tempus concoquant ac diſſimulent. Sed quænam firmiora ſecuritatis munimenta quærimus, quam ſponſiones maximorum Regum ac Principum, qui fidem ſuam eo nomine obſtringunt, ne nobis credulitas aliquid apportet damni? Pontifex nunquam ſibi manus ligat, ſed illius brutum fulmen Batava virtus jampridem horrere deſijt, nec ullo tam tenaci vinculo conſtringi poſſunt ingenia Vertumnorum, quin viam ad effugium reperire queant. Igitur ſecludamus vanas rerum formidines, & diffidentiæ cauſas nimis altè petitas, quibus ſi indulgeamus, nunquam tot malorum finem videbimus, nunquam in bonæ ſpei portu anchoram figemus, ſemper agitabimur tempeſtatibus civilium turbarum ac diſcordiarum. Concludam cum Diomede Virgiliano,

—— Coëant in fœdera dextræ
Quà datur, aſt armis concurrant arma cavete.

Deum ex intimo affectu quæſo veneror que, ut quamcunq; in partem ſeſe conſilia noſtrorum Ordinum flexerint, ea Patrię, Libertati, & Eccleſiæ ſalutaria ſint, atque ad fœlicem & exoptatum finem provehantur.

Hactenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

HActenus Latinum Pacatum a mortuis excitatum in ſcenam produximus, & ea ſuadentem fecimus quæ nomini congruebant, & ab officio quieti civis non abhorrere videbantur. Nunc a diverticulo retexemus ordinem inſtitutæ narrationis.

Pater Ney, quem in Hiſpanias miſſum ad Regem fuiſſe ſupra retulimus, receperat ſe intra XL dies reverſurum, ſed error fuit in calculo, neque enim iſtiuſmodi negotia procedunt ex pactis conventis, nec ab arbitrio promittentium pendent. Non ſtetit tamen per eius tarditatem quominus intra condictum tempus monachum reducem Batavia videret, ita raptim viam corripuit, ſed aliæ difficultates objectæ ſunt quæ remoram attulerunt. Interea nihilo ſegnius conveniebant ij quibus injunctum erat munus de pace vel inducijs tractandi. Legati Archiducum poſtulabant ut portoria, & vectigalia mercibus impoſita ad tolerandos belli ſumptus abolerentur, retentis ſolummodo ijs ſubſidijs, quæ ab antiquis temporibus exigi conſueviſſent. Item ut reſtitueretur Archiducibus quidquid urbium, oppidorum, agri ſolique in Brabantia & Flandria fœderati Ordines detinebant. Loca erant pleraque ſitu & opere validiſque præſidijs munitiſſima, quæ diuturnam obſidionem tolerare, & victoris exercitus curſum remorari facile poterant. Pro tam ingenti iactura compenſanda offerebantur tres urbeculæ haud diſpari permutatione, quam quæ interceſſit Glaucum inter & Diomedem. Quocirca non injuria queſti ſunt Ordinum Legati fraudem fieri promiſſis, quibus fidem ſuam devinxerant Archiduces utrique populo ſalvam & incolumēpermanſuram fundi ſui poſſeſsionem. Addebant inſuper quanta eſſet inæqualitas damni & ſupplementi, ſi talem conditionem acciperent. Nec vectigalia tolli poſſe ſine magna publicarum opum imminutione, quibus & nervus belli, & ornamenta pacis continerentur. Quum tamen per ea tempora facti eſſent certiores quendam harum Provin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ciarum nautam circa ſretum Gaditanum piraticam exercere cœpiſſe, & plures Hiſpanicas naves eſſe deprædatum, ut oſtenderent quam ſincera fide cuperent obſervari pactas inducias, ſignificarunt Marchioni collegioque Legatorum Regis & Archiducum, eſſe ſibi in animo quatuor bellicas naves adverſus piratam iſtum inſtruere, ut ſupplicium de noxio capite ſumi poſſit, & ad eam rem poſtularunt a Marchione commeatum, quem haud gravate curavit expediendum. Proximo qui ſequutus eſt conventu rurſus eadem de re cœptum eſt diſceptari. Ordinum delegati multas graves cauſas adferebant in medium, cur nullo modo tam inæqualis compenſatio admittenda eſſet, ut unius aut alterius oppiduli pretio paterentur ſe pręcipuis urbibus ac propugnaculis ſpoliari, quibus populi ſecuritas, & imperij firmamentum niteretur. Nec onera & neceſſitates contracti æris alieni diſſolvi poſſe ſublatis vectigalibus, quæ mercibus importandis & exportandis indici difficillima tempora coëgiſſent, niſi poſtquam diuturna pax attritas immenſis ſumptibus opes beato rerum proventu in antiquum ſplendorem reſtituiſſet. Tamen in priſtina ſententia perſiſtebant Legati Archiducum, nec ſibi perſuaderi volebant iniquā aut inæqualem poſtulari permutationem, ut Ducibus Brabantiæ Comitibuſque Flandriæ ſua prædia, ſuum patrimonium recuperare fas eſſet. Ne ab Ordinibus quidē eam dignitatem in dubium vocari, quin optima lege inaugurati ſint domini duarum iſtarum Provinciarum. Fraterna fide & ingenuitate Sereniſſimos Principes cum ſocijs & amicis agere, non ut in alienam poſſeſſionem faciant impetum, ſed ut bona cum gratia patrium avitumque heredium legitimis ſucceſſoribus reſtituatur. Nihil facturos Ordines contra dignitatem liberi ſtatus, contra decus Imperij, contra civilitatis officium, ſi volentibus animis liberalitatem exerceant erga nepotem, filium, fratrem Cæſarum, & erga filiam unicam maximi Regum, quem olim ſumma cum obſer-

x Kal. Maias.

vantia & veneratione dominum agnoverunt. Nihil ſe iuris in eos vindicare, niſi ut cogitent Principes ſorte naſcendi ad excelſam dignitatem genitos, & haud indecoris virtutibus ornatos aliqua honoris prærogativa dignos videri. Non enim minus liber eſt populus etiamſi fœdere comprehenſum ſit, ut alterius populi aut Regis Majeſtatem comiter conſervaret. Imo quanto ſe viri præſtantes ſubmiſsius gerunt, tanto ſublimius attolluntur judicio eorum qui veræ magnitudinis indolem non externo faſtu, ſed internis animi dotibus æſtimare didicerunt. Quod ſi Ordines gravarentur, aut non ſatis tutum putarent continuo in urbes illas, oppida, propugnacula præſidiarium militem ab Archiducibus intromitti, ſaltem jura ſupremæ poteſtatis reſignarent, & ad certum tempus pignori incumberent, donec omnis ſcrupulus exemptus eſſet. Cur autem de extraordinarijs vectigalibus abolendis ambigeretur cauſam non videri, quum pacis conventio ſemper illud adferre ſoleat commodi, ut mutua commercia libera ſint, nec exactionibus onerentur quas temporum neceſſitas, & bellorum vices expreſſerunt. Dum hæc ad eum modum geruntur, Præſes Ianninus Gallicæ legationis princeps, de cuius ſapientia, virtute & animi magnitudine ſupra ſumus loquuti, ſignificavit Ordinum concilio ſibi in Galliam eſſe proficiſcendum gravibus de cauſis quæ pertinerent & ad Regis ſui Majeſtatem, & ad publicam utilitatem unitarum Provinciarum. Nec a ſententia demoveri ſe paſſus eſt, quamvis ab Ordinibus omnes machinæ admoverentur quibus propoſitum iſtud expugnari poſſet. Itaque paucis poſt diebus in viam ſe dedit, Roterodamique navem cõſcendit ut in Zelandiam traijceret. Tam repentina, nec opinata profectio viri tantæ dignationis multis offenſi animi, vel altioris cuiuſdam conſilij ſuſpicionem iniecit, eo magis quod per idem tempus duo Gallorum militum tribuni, Gaſpar Colinius magni illius Galliarum maris præfe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſti nepos, haudquaquam degener ab avitis & paternis virtutibus: & Cyrus de Bethune iuvenis ad omne laudis exemplum genitus commeatum ab Ordinibus petierant ut in Galliam excurrere liceret. Sed hos animorum motus placavit ſubita reverſio Præſidis Iannini, qui tertio poſtquam diſceſſerat die rediijt Hagham, ſive vi tempeſtatis compulſus, ſeu mutata voluntate, ſeu iuſſu Regis , an quia iam ante ſic in animum induxerat. Quum nec literæ , nec nuntij ex Hiſpanijs venirent, qui de patre Ney eiuſque reditu quidquam certi referrent, & negotium tantæ molis haud faciles explicatus habiturum eſſe videretur, ſubnaſcentibus indies novis incōmodis ac difficultatibus, erat admodū anceps rerum Belgicarum ſtatus. Flos nobilium, & generoſa militum ſoboles avida periculorū, & quietis impatiens, cui campus Martius eſt ſeges & materies gloriæ, diris devovebat caput monachi, & quicunque primus intuliſſet mentionem pacis. Prudentiores etiam ſatis intelligebant, potentiſſimum orbis terrarum Regem, non fuiſſe benevolentia aut humanitate adductum ut ſub tam indignis majeſtate legibus cum ſuis olim ſubditis paciſceretur, nec fore diuturnum ac ſtabile quidquid iſtud præſens neceſsitas extudiſſet. Ideoque nihil boni præſagiebant ex tota illa negotiatione, niſi clavum imperij , & partas bello vires ac potentiam Ordines ſumma vi retinerent. Iejuna plebes diurno labore vitam tolerare ſolita, quæ maxima turba eſt, querebatur manus non ſufficere alendæ familiæ , quia vendibile mercimonium emptores non reperiebat. Rareſcebant cuncta commercia. Ceſſabant omnia penè alia vitæ officia ſuſpenſis hominum mentibus quorſum tandem lentum iſtud negotium evaderet. Ita pacis exſpectatio erat aperto bello magis damnoſa. Nam nec utrinque ſuppetebant neceſſarij apparatus ad inſtaurandum Martem, nec fida ſpes affulgebat diutius manſuræ compoſitionis, quam quatenus potentiorum intereſſet. Nemini dubium erat quin opus eſſet longiore

giore

giore temporis tractu ad evolvendas tot difficultates, & quia dies appetebat quo finiebantur induciæ, ne rebus infectis diſcederetur, ex communis conſilij ſententia placuit eas in annum vertentem prorogari, & extendi uſque ad proximas Kalendas Ianuarij, ſub hac tamen conditione ut certi quid ſtatueretur de ſumma rei ante finem menſis Iulij, ne ſemper inter ſacrum & ſaxum verſarentur animi civium ignari ſuę conditionis. Ea dilatio mirum in modum gaudio affecit Marchionem Spinolam, cæteroſque Archiducum Legatos, unde multi conjecturam faciebant ex conſcientia virium imbecillitatis cœptum eſſe agi de pace, nec aliud quæri diſceptatione illa quam ut occaſionis oportunitas redimatur, res auro contra non cara, quod ſæpe in bello parvis momentis magni caſus intercedant: moram adverſarijs utilem, Ordinibus damnoſam, Hiſpano nunc omnia eſſe imparata, mox adventuras opes ab utraque India, quibus ſi quæ ſint accepta detrimenta prompto remedio ſubveniri poſſit. Interea ſæpius ad colloquium ventum eſt, tentatæque ſunt omnes viæ, quibus ad concordiam reduci poſſent controverſiæ de aſsignandis cuique parti limitibus, deque redhibitione bonorum fiſco adiudicatorum, alijſque non parvi momenti articulis, de quibus quoniam nihil utrinque decerni potuit, non eſt operæ pretium ſingulorum ſententiam recenſere. Quum finis nullus imponeretur contentionibus, diſcordijs, altercationibus, ut res iurgio & rixæ, quam ligitimæ diſceptationi ſimilior eſſe videretur, tandem tædio tot morarum & tergiverſationum delegati Ordinum ſimpliciter edixerunt, nec ex dignitate imperij, nec ex uſu publico eſſe, ut animi ſemper in ambiguo hæreant ſuſpenſi exſpectatione rerum incertarum, proinde aliquid eſſe ſtatuendũ in alterutram partem, idque ad ſummum intra Kalendas Sextiles, aut cõmercium colloquendi diremptum iri. Quærebaturque ex Archiducũ Legatis an Rex & Sereniſſimi Principes ſerio, & ex intimo cordis affectu cuperent

XIII. Kal. Quintil.

Idib. & poſtrid. Id. Iunij.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ex indicto conventu certum quid ac definitum ſtatui ſine ulla diſſimulatione. Reſponſum eſt, ut oportebat a fidis adminiſtris, non eſſe fas dubitare de eorum animi ſinceritate, cuius tot illuſtria documenta haberent, ut votis optare luculentiora non poſſint. Quid enim magis inauditum, minuſque credibile unquam fuit, quam ut æquo fœdere maximi Principes cum ſuis olim ſubditis ſocietatem & amicitiam inire dignentur, tranſcripto jure ſupremæ poteſtatis, quam antea ſummo cum omnium Ordinum conſenſu pacifice maiores eorum poſſediſſent? Non ſatis bona ſua intelligere, neç gratis animis beneficia deorum interpretari eos, qui talia faſtidioſe traducant, quæ potius venerari debebāt tanquam ancilia cœlo delapſa. Sed fieri plerumque ut mentes elatæ rebus ſecundis modum ſervare non poſsint, nec facile adverſa caſuum reputant quibus fortuna ſemper arriſit. Nulla neceſsitate alia compulſus eſt Rex & Archiduces, ut ad pacem petendam Oratores mitterent, & iura Majeſtatis reſignarent, quam ob populi ſalutem, quæ ſuprema lex eſt, ad quam actiones magnanimorum Principum dirigi debent, & ut parceretur humano ſanguini, neu conſortes populi mutuis cædibus in patriæ viſcera diutius ſævirent. Hoc modo cogi vera libertas eſt, vera majeſtas, nec ulli iuſtiorem venerationem meruere, quam qui clementia & manſuetudine imperium temperavere. Nulla virtute mortalis conditio propius ad divinæ naturæ ſimilitudinem accedit, quam ſalute multorum procuranda, ignoſcendo lapſis, ſuccurrendo afflictis, parcendo ſupplicibus. Scipio Africanus pluris æſtimabat gloriam ſervati civis, quam decus omne triumphorum. Non ideo debere Ordines vel nimis magnifice de viribus ſuis ſentire, vel ſequius opinari de ſublimi animo auguſtorum heroum, quaſi ob deſperationem victoriæ primi tentarint vias ineundæ compoſitionis. Nam in tam laudabili facto potior eſt cauſa occupantis. Oratio plena dignitatis videbatur, ſed ad efficaciam

ciam perſuadendi requirebantur a civibus pro communi libertate ſollicitis certiora fidei pignora, quam verba & voces. Itaque multi exorti ſunt ultro citroque ſermones, ut altera pars alterius intimos ſenſus penitus rimaretur. & liquido cognoſceret. Injectaque eſt mentio de externis militibus, ut Hiſpana præſidia e Belgij finibus dimitterentur. Ad quam interrogationem ingenioſo effugio reſponſum eſt, Ordinibus nihil ex parte Archiducum præſcriptum iri, quid de præſidiarijs ſuis militibus ſtatuendum haberent, ipſos viciſſim non debere alienæ libertati modum aut legem indicere. Satis apud intelligentes apparebat difficulter imo nulla ratione id unquam impetrari poſſe. Neque enim dubium erat huiuſmodi vocem altius penetrare, tentarique arcana dominationis. Nam etſi nihil aptius eſt ad imperij diuturnitatem quam amari, coli, vereri: nihil alienius quam timeri, necquiſquam a multis metuitur quin in eiuſdem peſtem ac perniciem formido ex multis redundet: tamen hæc moderationis & colligendæ benevolentiæ diſciplina vel non capitur, vel contemnitur ab immitibus Regum conſiliarijs, qui vim putant eſſe firmius & ſtabilius frœnum ad coërcendos cives, quam ſpontaneum obſequium liberalitate & clementia ſubnixum, maluntque fidem cogi quam ſperari, & in arcibus atque caſtellis, potius quam in animis collocant ſedem Auguſtæ Majeſtatis. Haud multo poſt Præſes Ianninus *XIII Kal.* mandata ſui Regis obtendens in Galliam eſt profectus. Ante *Quintil.* diſceſsũ multa cum orationis gravitate commẽdavit Ordinibus curam publicę ſalutis, & ut omni ope conſilioq; in cõmune bonũ incumberent, concordiam foverent, illamunicam eſſe optimam ſpõſionem ſtabilitatis, adverſus conſentientes nullam vim externam, nullum Regem aut tyrannum ſatis validũ fore. Moderate uterentur ingenti munere ac dono libertatis, periculoſum eſſe depoſitum, & velut ferrum in manu furioſi, ſi quis non habeat artem regendi, comiter

acquieſce-

acquieſcerent honeſtis conditionibus, paci ſtuderẽt quantum ſalva dignitate & ſecuritate civium fieri poſſet, ut tandem finis imponeretur tot ærumnis & calamitatibus, quas ſecum adfert civile bellum: multaque alia ſubiecit quæ tali tempore ſalubriter admoneri poterant. Profectio iſta viri primariæ authoritatis ac dignationis non caruit multiplici ſermone, propterea quod eodem tempore fama vulgaverat adveniſſe in Galliam Legatum a Rege Hiſpaniarum Petrum Toletanum illuſtri genere natum cum frequenti comitatu, & magnifico fortunæ paratu. Haud erit alienum a propoſito, nec abſq; delectatione Lectoris, quædã ſigillatim ſuper iſta legatione diſſerere, quia inſtituta credebatur ad inſidias tendendum libertati unitarum Provinciarum, & ad prolatandam induciarum negotiationem. Contingebat aliquo gradu ſanguinis & cognationis Reginam Galliarum, credebaturque par & idoneus peragendis haud exigui momenti negotijs ob ingenij promptitudinem ac dexteritatem. Quum Regina miſiſſet ad ipſum qui gratularetur adventũ tanquam propinquo & conſanguinitate devincto, fertur dixiſſe per blanditias & adulationem, Regibus & Reginis nullos eſse cognatos aut agnatos, ſed ſubiectos tantum & clientes. Quum ad Luparam Regem conſalutatum acceſsiſset, forte ut aſsolet exortus eſt ſermo de magnificentia ædificiorum. Rex meus (infit Hiſpanus Orator) habet palatia longe pretioſiori marmore, & ſuperbiore conſtructa luxu. Non inficior (ſubijcit Rex) ſed e feneſtra digito demonſtrans urbem Lutetiam, num etiam (inquit) in Eſcuriali viſuntur ejuſcemodi ſuburbia? Significatum fuerat Regi ſparſum fuiſſe in aula Hiſpanica rumorẽ præſente Toletano, quod pedes eius podagræ doloribus infeſtarentur, iactaque fuerant dicteria quædam in contumeliam iſtius debilitatis. Rex diſſimulata offenſione curavit Legato denuntiandum ut poſtridie hora ſexta matutina adeſſet, velle ſe cum ipſo de rebus ſeriis communicare. Quum ad condictum tempus veniſſet, Rex homi-

hominem manu complexus, & incedens magnis paſſibus per horas aliquot continuas eum in porticu circumduxit, quaſi de curſura & pernicitate pedum certamen eſſet, nec miſſionem dedit priuſquam miſerum extrema laſsitudine confectum animadvertiſſet. Prandenti Regi refertur a quodam aulico, Toletanum protenus ut ſe ab ipſius conſpectu domum recepiſſet, iviſſe cubitum præ nimia defatigatione, qua penè ad ultimum languorem exercitus eſſet. Ita factum oportuit, excepit Rex, ut renuntiet ex fide ſuo Regi ſtatum meæ valetudinis, ne mihi podagram aut ullam imbecillitatem obfuturam ſperet, quin ſi bellum velint Hiſpani, citius equi tergum conſcenſurns ſim quam ipſi manu frœnum prehendere cœperint. Conſtans fama erat præcipuam eiuſce legationis cauſam eſſe, ut de nuptijs ageretur inter filiam Regis Hiſpaniarum & Delphinem Galliæ ſub conditione ut dotale fieret omne Belgium. Dixerat forte Legatus fata fortunamq; unitarum Provinciarū pendere a nutu & arbitrio Regis: tota erras via, ſuſcipit Rex, nihil in ea re poſſum, nec poſſe volo quam quod in cōmune commodum utriuſque partis ſit, Regis tui nimirum & Ordinum confœderatorum. Mea non aliud refert quam ut Chriſtianus orbis tranquilla pace fruatur. Quod ſi authoritas mea tanta eſſet quantam prædicas, Infans veſtra & meus Delphin non ſunt eius ætatis ut de matrimonio cogitandum ſit. Deinde poſtulas ut præſenti mercede ſpes incerta futuri temporis redimatur. Hæc paucis attigi ut ex tali ſpecimine iudiciū fieret de promptiſsimo Regis ingenio, & paratiſsimo ad reſpondendū. Qui quum ex relatu Præſidis Iannini cognoviſſet quidquid erat geſtum inter Ordines fæderatos & Archiducum Legatos, continuo eum remiſit cum mādatis ut totis regiæ authoritatis viribus uteretur ad pacem aut inducias longi temporis inter eos conciliandum, Id enim communiter expedire, nec ex uſu tantum eſſe, verum etiam neceſsarium, ut ſerio tandem diſpiciatur de componendo

O civili

civili diſſidio inter populos lingua, inſtitutis, legibus ac moribus invicem devinctos, debere utroſque pertinaciæ finem facere, nec amplius experiri communem Martis fortunam, & incertos eventus exituſque bellorum. Sibi eſſe liquido compertum & exploratum rerum Belgicarum ſtatum, qui non poſſet in ſolido locari via compendioſiore, quam beneficio fidæ, piæ, & æternæ pacis: vel ſi nondum ſatis litatum eſſet iræ cœleſtium, ſaltem incumbendum eſſe omni ſtudio in eam curam, ut ab armis, quam diutiſſime fieri poterit, diſcedatur ſublatis diffidentiæ cauſis & odiorum irritamentis. Interea ſæpius ad colloquium veniebant delegati Ordinum & Archiducum, multaque conſulebantur in medium ut ratio aliqua compoſitionis inveniri poſſet, ſed omnia cadebant in irritum, quia caput & præcipua pars negotiationis aberat, qui de voluntate Regis Hiſpaniarum certa mandata reportaret. Itaque res videbatur depoſitæ ſalutis, nec providæ mentes boni quidquam augurabantur, præſertim quum literæ ab Legato Ordinum qui Lutetiæ degebat ex Gallia miſſæ eſſent, quibus ſignificabat ſe ex primarijs regni viris intellexiſſe, quaſi relatum ab Archiducum Legato Petro Peckio, Regi Hiſpaniarum nunquam fuiſſe decretum ſub tam indigna, & ignominioſa lege cum ſubditis rebellibus paciſci ut iura Majeſtatis reſignaret, nec id unquam futurum quamdiu vel latum unguem fundi poſſideret. Sed quidquid indultum eſſet, temporis cauſa conceſſum fuiſſe, quia non alia via veniri poterat ad ullam divini humanique juris communicationem. Tum autem ratas non fore conventiones, quas ſatis appareret a nolentibus expreſsas. Nullam eſse legitimam cauſam contra patriam arma ſumendi, nedum contra Principem, qui eſt communis omnium parens, caput reipub. paſtor populorum, unico Deo minor, cui ſoli reddere rationem adminiſtrationis ſuæ tenetur. Parendum

dum Regibus non ſolum humanis mitique ingenio prædi-
tis, verum etiam difficilibus ac moroſis. Boni votis expe-
tendi ſunt, tolerandi quicunque obtigerunt. Fidem per-
fidis ſervari non oportere, rebelles eo ipſo quod rupto fœ-
dere ſacramenti in Principem inſurgant, perjurio caput al-
ligare, nec dignos videri quibuſcum belli iure agatur, Prin-
cipes eſse tantum tutores ſalutis civium, uſufructuarios
regni vel reipubl. nec jura quæ Majeſtati cohærent verſari
in commercio, aut alienari poſse quin ad priſtinam na-
turam reverti debeant, nec ſucceſsores ex tali contractu
obligari, quum nec Legatus Cæſaris ſe abdicando impe-
rium amittat. Semper fore locum reſtitutioni in integrum,
nec diutius quam expediat ſervatum iri tam indecoras pactio-
nes, quibus reverentia divino humanoque jure debita ſce-
ptris & coronis violatur, Quod ſi Rex eo faſces ſuos uti-
litate ſuadente demitteret, ut ad tempus in ſuſpenſo hæ-
rere jura Majeſtatis, ac ſupremæ poteſtatis pateretur, ſal-
tem non alia conditione id in animum induceret, quam ut
Ordines omnino ab Indicis navigationibus in poſterum
abſtinerent, & ut per unitas Prouincias liberum Reli-
gionis Romanæ Catholicæ Apoſtolicæ exercitium Ponti-
ficijs permitteretur. Ipſum ego Peckium inſigni ſane do-
ctrina & humanitate virum, Bruxellis quum eſſem, præ-
dicantem audivi, per gravem ſibi contumeliam ab Ordinum
Legato impoſitam fuiſſe quod talia de ſe ſparſiſſet. Nam
neque rem ita ſe habere, & ut omnia vera eſſent, tamen
quum aliud palam ageretur, non ſe tam improvidum,
vel potius tam infidelem ſuis eſſe, ut iſta ſecretioris aulæ
arcana quæ ſacro ſilentij horrore obſignanda erant, ſe au-
thore foras eliminarentur. Interim hæc & alia multa
quæ tum temporis per ora cunctorum volitabant indi-
cio famæ nihil tacitum aut occultum ſinentis, magnum im-
pedimentum objectare videbantur, quominus de tota ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

gotiatione bene ſperaretur. Nec diſſimiles nuntij adferebantur ex Germania de Legato Hiſpaniarum apud Cæſarem, qui crebris ſermonibus uſurpare dictitabatur eos graviter hallucinari, qui crederent Regem ſuum tam abjecti animi eſſe, tam fractis viribus, tam oblitum gloriæ ac ſublimitatis, ut populo, quicum per tot annos bellum inexpiabile geſſiſſet, patrium & avitum imperium transſcriberet ob rependendam gratiam crimini perfidiæ ac rebellionis. Nihil tale concludi poſſe ex inſtrumento ceſsionis ac renuntiationis, quam nec rerum natura, nec legum authoritas, nec boni mores ratam eſse patiuntur. Principem enim ea quæ ſunt juris Regij alienare non poſse, nec ullis legibus adſtringi ab ſuis ſubditis, quin reſtitui in integrum poſsit, præſertim ſi ex conventione læſus ſit, & de Majeſtate quidquam detrahatur. Commiſsa eſt enim ipſius curæ ac fidei tutela & moderatio imperij, neu quid reſpub. capiat detrimenti. Domini ſunt, ſed non ſecus quam maritus eſt dominus dotis, quam tamen alienare non poteſt. Rebelles iuſtorum hoſtium numero non cenſeri, non magis quam piratas & latrones, quibuſcum nulla ſocietatis humanæ communitas intercedit, nec quidquam eſt iniuſtius, quam ut quis ex ſcelere ſuo lucrum ſentiat, aut conditionem ſuam efficiat meliorem. Quod de Pontifice dicitur, eum nunquam ſibi ligare manus, id ad Principum dignitatem accommodari debere. Nemo enim, ut dicunt juris authores, ſibi ipſe imperare poteſt, nec coacti ſimul & cogentis officio fungi. Promiſſio etiam & obligatio nullius eſt momenti, quæ a voluntate promittentis ſtatum capit. Huc adde quod ceſsio illa ſub incertæ conditionis eventu concepta eſt, neque quidquam transfert in accipientem, niſi fiduciarias vindicias ſecundum libertatem durante ſaltem tempore induciarum. Eodem accesſit vox audita ex ore Marchionis Spinolæ, quæ non admodum magnam ſpem portendebat aliquid effectum iri. Negabat enim ſe credere rediturum eſſe ex Hiſpanijs patrem

trem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

trem Ney, propterea quod vana credulitate lactatus Regi & Archiducibus, atq; adeo ipſimet multa perſuaſiſſet, quæ contraria veritati eſſe dies & eventus cõprobaret. Qua in re vel ipſe præ ſtudio falſus eſſet, vel alios fefelliſſet, præſertim circa caput Indicæ navigationis, & cauſam fidei ac religionis, qua potiſſimum ſpe ceſſio & renuntiato fuerat impetrata. Tamen ex parte Archiducum allatæ ſunt excuſationes diuturnioris moræ, cur patri Ney non eſſet integrum citius reverti propter tarditatem conſilij Hiſpanorum, & arduæ molis negotia, quibus interea Rex diſtringebatur. Petitumq; eſt ut ad ſeſquimenſem poſt Kalendas Sextileis induciæ producerẽtur, quod haud ægre conceſſum ab Ordinibus, ne per eos ullo modo ſtetiſſe videretur, qnominus cœpta negotiatio fœlicẽ exitum ſortiri poſſet. Legati Regis Daniæ tot fruſtrationum inſolentes, non ulterius iſthic hærere voluerunr, ſed multa queſti de parum ſincera fide Hiſpanorum, deque eorum admirabili patientia & cunctatione in conſilijs capiendis ad ſuos ſunt reverſi. Præſes Ianninus in conventu Ordinum verba fecit de ſumma benevolentia Regis & animi inclinatione erga ſalutem & incolumitatem unitarum Provinciarum: quam ſibi ad liquidum perſpectæ & exploratæ eſſent Ordinum res rationeſque, quibus accurate ſubductis omnino videri fore ex uſu communi, ut vel de pace perpetua, vel de longis ab hoſtilitate ferijs negotium tranſigatur. Cavendum vero ſævius atque peſtem certamque perniciem ne iterum ad arma veniatur. Nam ſi quæ mala & incommoda cervicibus civium ac libertati impendere videantur per ſpeciem talium conventionum, ea omnia concordibus animis, & ſapientibus conſilijs provideri ac propulſari poſſe. Bellorum vero exitus plerumque funeſtos imminere ijs qui opibus ſuis confiſi pro certis incerta mutarent. Quo fundatior eſſet eorum ſtatus, tanto magis cavendam eſſe inſolentiam, litandumque modeſtiæ & moderationi, ne commutatio fortunæ conſequatur, ſi rebus ſecundis animi

Poſtridie Kal. Sextil.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

nimium laſcivirent. Hoc ipſis conſilium dari ab amiciſſimo Rege, cujus benevolentiam illuſtribus documentis eſsent experti. Quin & recens exſtare ſpecimen ac teſtimonium ſui erga Ordines favoris atque affectus, quod in eorum gratiam conditiones ſibi ac regno glorioſas ultro oblatas adſpernatus eſset, ne quid fieret unde ſuſcepta negotiatio pacis aut induciarum retardaretur. Innuebat autem haud obſcure ſermonem a Petro Toletano propoſitum de iungendo matrimonio inter Galliæ Delphinem & majorem natu filiam Regis Hiſpaniarum, cui dotis nomine ceſſiſſent, & reſignari debebant jura omnia quæcunque Philippo & Archiducibus in Belgarum gentem competebant. Hoc modo ſpes erat elui poſſe maculam tranſcriptionis indultæ Ordinibus, & unitas Provincias ſeu ſponte, ſeu metu majoris mali acceſsionem fore ejuſce donationis. Circa idem tempus iterum habitus eſt conventus inter Archiducum & Ordinum Legatos ut miſsis ambagibus ediſſereretur, ecquid ſuper præcipuis rerum capitibus perfici & expediri poſſet. Reſponſum eſt, paucis abhinc diebus intellectam eſſe decretoriam voluntatem Regis & Archiducum, nimirum velle ſe omnino & cupere ratam, fixam, & immotam manere ceſsionem juris in gratiam Ordinum tranſcripti, quidquid in contrarium dicatur, dolumque omnem abeſse & abfuturum a tali conventione, ſub hac lege & conditione ut viciſsim Ordines tam illuſtri titulo aucti, tam ingenti munere ac beneficio devincti, gratos ſeſe ac memores probarent. Id hoc demum pacto futurum, ſi liberum Romanæ religionis exercitium per omnes eorum Provincias indulgeatur, & ſi in totum ab Indicis navigationibus abſiſtant. Ad reliqua quod attinet, quanquam non difficilis foret inter bonos concordia, ſi duo illa grati animi pignora conceſsa fuerint, ut velut ſignum ſuſtuliſse videantur ad bene de cætero ſperandum, tamen non eſse ſib datum in manda-

XII Kal. Septemb.

mandatis ut ſuper motis difficultatibus quidquam paciſcantur, quo Regia Majeſtas & Archiducum celſitudo minuatur. Quæ quum relata eſsent ad Ordinum concilium, placuit rem communicari cum Legatis Regum & Procerum, nec non cum Principe Mauricio, cum Comite Gulielmo, cum Conſilio Status: atque omnibus diligenti examine perpenſis & deliberatis Senatuſ-conſultum factum eſt quo continebatur narratio rerum geſtarum ex quo de pace aut inducijs agi cœpum eſt, commemorabantur gravia damna & detrimenta quæ ſæpenumero ſub prætextu tentandæ compoſitionis per Hiſpanos illata eſsent, ut merito tales inſidias peius aperto Marte formidandas eſse Ordines cenſuerint, nec ab annis XXV animum inducere potuerint ut ejuſmodi Sirenum cantibus aures applicare vellent, ne ad infames ſcopulos obhæreſcerent, & patriæ libertatis naufragium paterentur. Quumque ex parte Archiducum ſignificatum eſset, quanto pacis ineundæ deſiderio flagrarent, quantumque ſemper abhorruiſsent ab effuſione humani ſanguinis, utpote qui natura facti, & conſuetudine exerciti eſsent ad omnem clementiam & manſuetudinem, ſimpliciter & ſine circuitione reſponſum eſt, nec piam, nec honeſtam, nec tutam conventionem ullam intercedere poſse Ordinibus cum ijs, qui aliquid juris adverſus unitarum Provinciarum libertatem tot periculis, tot funeribus aſsertam vindicare vellent, aut ſibi ſupereſse arbitrarentur. In hoc propoſito, tanquam in Palladio ſecuritatis, fundamentum imperij, & fortunarum ſuarum ſpem collocatam eſse. Proinde retinendum ſumma vi, & in eo conſtanter perſeverandum ad ultimum uſque vitæ ſpiritum. Teſtabanturque ſe puros, integros & immunes futuros ab omni invidia miſeriarum & calamitatum, quæ propter cauſam tam iniuſtæ uſurpationis ex civili bello vel ortæ iam, vel orituræ eſsent. Quod decretum ut
eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

eſt perlatum ad notitiam Archiducum, protinus declararunt, idemque ſæpius teſtati ſunt, ſe cum Ordinibus, tanquam cum liberæ reip. Proceribus, in quos nullum jus prætenderent, velle cōvenire ſeu pax pia & æterna placeret, ſeu longiores ab hoſtilitate ceſſationes. Ac ſiquidem induciæ pactæ eſſent, quiſque ſine iniuria & moleſtia retineret quod jam partum haberet: ſi pax concludi poſſet, utrique populo manſuram ſalvam & inoffenſam poſſeſſionem eorum, de quibus invicem conveniſſet, ſed unitæ Provinciæ prorſus deſiſterent, & abſtinerent ab Indicis navigationibus. Id quum eſſet aperte ſimpli-

III Eid. Mart. cIↄ Iↄ VII.

citerque recuſatum, Archiduces eam partem ſilentio prætermiſerunt ut ex actis apparet. Nec multo pòſt ſolenni inſtrumento declararunt ſe nullum ultrà ius in Provincias unitas ſi-

IX *Kal. Apr.* cIↄ Iↄ c VII.

bi vindicare, & paratos eſse paciſci cum Ordinibus, tanquam cum primoribus populi qui nullius dominio ac poteſtati ſubiectus ſit, ſi quid ſecus factum eſset, damnum aut injuriam reparatum iri, ſpondebantque Regē Hiſpaniarum intra menſes tres rem ratam habiturum. Secundum quam conventio-

Pridie Kal. Quintil.

nem pactæ ſunt induciæ, atque interea tres actus ratihabitionis ex Hiſpania diverſis temporibus advenerunt, quorum

XIV. *Kal. Octobr.*

præcipua capita Senatuſ-conſulto inſerta erant. Exinde conſenſerunt Ordines ut Legati Regis & Archiducum Hagham venirent tractaturi ſuper negotio pacis aut induciarum. Sed conceptiſſimis verbis ſemper proteſtati ſunt, non alia lege colloquium aut conventum ullum admiſsum iri, quam ſi ante omnia liqueret luce meridiana clarius ac certius, Regem & Archiduces eorumq; heredes ac ſucceſſores nullum unquam jus vindicaturos ſibi in bona, libertatem & ſtatum unitarum Provinciarum, ſed abdicaturos etiam titulos atque inſignia, nec ullo modo controverſiam moturos, quominus optima lege cives Ordinum curæ concrediti, liber populus ſuique iuris ac mancipij cenſeantur, ſoluti vinculo fidelitatis atque obſequij, quod olim Auſtriaca domus in eos obtinuiſſet, taleſ-

que

que agnoſcantur in terris ac dominijs, quam late patet Regis & Archiducum potentia, imperium, ditiones. Item ut ſempiterna oblivione deleretur funditus memoria præteritorum, ceſſaretque omnis hoſtilitas, & fida pax obſervaretur. At ubi ad rem ventum eſt, apparuit per cuniculos iura illa libertatis circumveniri in maximi momenti capitibus atque articulis, quibus potiſſimum opes & vires unitarum Provinciarum innituntur. In quo genere ſunt commercia & navigationes ad utramque Indiam, quibus ſi Ordines renuntient, ultro ſibi videbuntur exilium indixiſſe a maxima parte totius orbis terrarum, & nervos gloriæ, potentiæ atque authoritatis incidendos atque exſecandos præbuiſſe. Nec non eodem referri debet, quod in aſſignandis limitibus, & commutandis prædiis, caſtellis, oppidis tam diſpar proportio, tantaque partium inæqualitas poſtulata eſt, ut appareat nihil quæri præter fraudes, aut redimendi temporis occaſionem. Quinetiam contra pacta conventa proponi novas leges circa cauſam religionis, quæ ſine magno periculo publicæ tranquillitatis, & præſentis ſtatus nullo modo admitti poſſint. Quæ quum ſatis graves, iuſtæ & idoneæ cauſæ viderentur, cur tota negotiatio illa penitus abrumpi diſſolvique deberet, tanquam ſuſcepta perfunctorie dicisque cauſa, non ex propoſito quidquam efficiendi præter meras fruſtrationes, ut tempus interea extraheretur, animique hominum deguſtata ſemel dulcedine otij a priſtino ardore defendendi patriam libertatem relangueſcerent atque emollirentur: tamen ut perſpicuum & manifeſtum fieret Regibus, ac terrarum dominis, rebuſque publicis, & civitatibus orbis Europæi, preſertim populo ac nationi Belgarum, quam Ordines ex intimo cordis ſenſu abſque ulla fraude ac diſſimulatione cupiant hoc diuturnum, lugubre ac funeſtum bellum perpetua, pia & fideli pace commutari, quamque nihil eorum prætermiſerint, unde tam ingenti bono frui poſſent, ex conſilij ſententia tot illuſtrium Legatorum, qui rogatu & ob-

teſtatione Ordinum miſſi fuerant, ut gratia, authoritate, prudentia & ſapientia ſuſceptam negotiationem firmarent, conſenſerunt ut unus ex Archiducum Legatis in Hiſpaniam proficiſceretur ad exquirendum noviſſimum Regiæ voluntatis oraculum, ſed teſtatò ſe nequaquam id plus ſimplici vice conceſſuros, duoque menſes ad ſummum præfixi ſunt, intra quod tempus cum pleniſſimis mandatis reverti oporteret, eoque fine ceſſatio ab armis, quæ menſe Martio terminabatur, in Kalendas Sextileis prolata fuerat. Quum autem diutius quam pollicitus erat moraretur pater Ney, & plerique hominem feram beſtiam factum eſſe opinarentur, qui amiſiſſet animum revertendi, tamen conſiderando impedimenta, & difficultates, quæ tali tempore humanitus occurrere ſolent, ex communi conſenſu prorogatæ ſunt induciæ ad finem uſque vertentis anni. Sed ne dilatio iſta negligentiam perſuaderet, aut timoris ſignificationem præberet, Ordines aperte ſimpliciterque edixerunt hanc eſſe decretoriam mentis ſuæ ſententiam, hoc arbitrium non ultra movendum aut mutandum, ut intra Kalendas Sextileis aut operi ſuprema manus imponeretur, aut colloquium inſtitutum dirimi neceſſe eſſet, ne diutius inter ſpem & metum dubiæ mentes fluctuarentur. Satius enim eſſe ſemel cadere quã ſemper ſuſpendi. Poſtea quum crebri ad aures Ordinum rumores adferrentur, literiſque item & nuntijs certiores fierent rem non agi ex formula fiduciæ ut inter bonos agier oportet, nec ex antiqua ſimplicitate, ſed aliquid monſtri ali, quod aliquando erupturum eſſet in publicam perniciem: nihil eorum quæ audierant reticendum eſſe duxerunt, ſed omnia ut ſe haberent ordine enarrarunt Archiducum Legatis, quos adjurarunt & obteſtati ſunt ut ſummotis diſsimulationum ambagibus, atque involucris dilucide ſententiam ſuam ſuorumque indicarent, neu moram interponerent propterea quod fine tantum anni termina-

minarentur induciæ, ſpatiumque ſupereſset amplius deliberandi. Nam ita prorſus erat decretum & iudicatum, niſi intra menſem Iulium certi quid, ac definiti conſtitutum eſset, continuo totam actionem diremptum iri, & a colloquio eſse diſcedendum. Reſponſum eſt falſa eſse, vana & inania quæ literis, aut rumoribus divulgarentur, ſibi de rei veritate liquido conſtare. Non ex ſermunculis temere ſparſis, & imprudenti credulitate exceptis de tantis rebus eſse ſtatuendum. Paucis diebus ante finem menſis Iulij ſignificarunt Ordinibus, ſe certiores eſse factos patrem Ney *Eid. Iulij.* vocatum fuiſse in aulam, ut mandatis inſtructus ad iter accingeretur, nec dubitari quin brevi ſit adfuturus. Quocirca *XIII Kal. Septembr.* ventum eſt iterum ad colloquium poſt diem conſtitutam, etſi varijs e locis interea continuabant ijdem rumores, & nuntij de ſiniſtra voluntate Regis Hiſpaniarum. Tum demum erupit in nervum conceptus animo dolor, & palam facta ſunt quæ diu diſsimulata, vel mollioribus involuta verbis ob difficultatem obtinendi in medium propoſita fuerant. Declararunt enim hoc eſse dictatorium decretum Regis & Archiducum, nihil juris a ſe prætendi in Provincias unitas, nec intercedere quominus ſuis legibus ſupremaque poteſtate utantur fruantur, verum ſub hac conditione ut in ijs Provincijs reſtituatur in integrum cultus Catholicæ Romanæ religionis, utque earum cives, incolæ & advenæ prorſus, ac ſine omni mora deſiſtant abſtineantque a commercijs utriuſque Indiæ navigationum. Adjungebant ſe perſiſtere in propoſito circa difficultates motas ſuper vectigalibus abolendis, ſuper poſtulato finium regundorum, alijſque capitibus maximi ponderis atque momenti. Quo in numero præcipue erat ut Archiducibus reſtitueretur proprietas bonorum, quæ a Principibus Burgundiacæ, & Auſtriacæ domus titulo emptionis de ſuo fiſco acquiſita fuerant quum ſine controverſia domini Belgarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

agnoſcerentur, ne deterior eſſet conditio ſummorum procerum, quam cuiuſlibet hominis privati, qui beneficio fœderis aut induciarum conſequuturus erat pacificam rei ſuæ poſſeſſionem. Nec repromittere volebant Ordines, aut dominos Archiducum iuri ſubiectos conventionem ratam eſſe habituros, ſive quod eorum voluntati diffiderēt, ſive quod talis conditio dignitati & authoritati Regis & Archiducum derogaret, quorum fides acceſſione reorum debendi non indigeret. Quibus machinis & artificijs videbantur non tantum per cuniculos ſubverti, ſed etiam aperta petitione oppugnari iura Majeſtatis, quæ tanto cum typho donata exprobrantur civibus, tanquam ingratis & malignis æſtimatoribus ſuæ fœlicitatis: ob eas res illuſtriſsimus Ordinum conſeſſus, cui concredita eſt dignitas patriæ, ſalus & incolumitas populi, libertas civium, in primis vero cura ſanctæ fidei ac religionis, cenſuit atque decrevit non videri ex republica, ut in inſtituta negotiatione longius procedatur, idcirco colloquium eſſe diſſolvendum. Quod quidem magno ſuo cum dolore fieri teſtis eſt Deus cordium inſpector, & falſi vindex atque ultor. Nihil enim ardentioribus votis exoptatum fuiſſe, quam ut res ad deſideratum & fœlicem exitum perduceretur. Quod quum per ſe non ſteterit quominus fieret, culpam atque invidiam cladium, & calamitatum, quæ deinceps ob continuationem bellorum cervicibus publicis incubare poſſunt, penes adverſarios fore. Hoc reſponſum eodem die quo conſcriptum fuit, tempore pomeridiano traditum eſt Regis & Archiducum Legatis, teſtato prius omnia ſincero animo ex parte Ordinum fuiſſe geſta, nihilque prætermiſſum quo ſuſcepta negotiatio bonum, & optatum finem ſortiri poſſet: ſed ex iniquiſsimis, & libertati damnoſiſsimis conditionibus quæ poſtulabantur, facile conjici poſſe non eſſe propoſitum adverſarijs quidquam decretorio iudicio concludere, verum hoc agi ut per imaginem mutui colloquij detepeſcat ardor propugnādi cauſam communem,

exploren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

explorentur animi, cognoſcaturq; genius gentis, & quæ ſit fiducia, quæ vires atque opes unitarum Provinciarum. Quocirca non eſse viſum Ordinibus ut licentius illudi patientiæ, & facilitati ſuę paterentur, atque hanc exſtitiſse cauſam, aliaſque non exilis momenti poſse adferri quamobrē cenſuerint conventum eſse dirimendum. Marchio & collegæ multa conteſtati de candore & ingenuitate dominorum ſuorum, & quam heroum mentes ſint averſæ ab omni fuco ac dolo, qui timoris animique degeneris indicium præbet, conſideraturos ſe totam rem dixerunt. Exinde queſti ſunt apud Legatos Regum ac Principum de ſiniſtris ſuſpicionibus hominū plebeiorum, qui vanos ſibi metus fingerent, & ex judicij ſui imbecillitate generoſam magnanimorum Procerum indolem metirentur. Non de nihilo viſa eſt eorum expoſtulatio. Sexto Kalendas Septembreis venerunt in concilium Ordinum, Legati quos iam retuli, atque ibi voce Præſidis Iannini, a cuius ore fluebat ſermo melle dulcior, poſt ſolennes formulas extollendi laudibus fidem, ſtudia, curam ac benevolentiam ſuorum dominorum, declararunt quam ipſis cordi fuiſset efficere ut bellum iſtud funeſtum atque calamitoſum fida perpetuaque pace finiri poſset: ſin tantum boni fato negaretur, nec adhuc juſta Numinis indignatio tot cædibus, & cladibus expiata eſset, illud ſecundo loco ſibi eſse in mandatis datum, ut de paciſcendis in longum tempus inducijs ratio diſpiceretur. Quamlibet enim conditionē recidivo morbo eſſe utiliorem, & omnem pacem cum civibus civili bello præferri oportere, nec decurrendum ad arma niſi poſtquam omnia lenioris remedij tentamenta fruſtra ceſserunt, quemadmodum non niſi urgentibus ultimis malis medici ad urendum ſecandumve accedere conſueverunt. Non videri repudiandas leges, quibus publicæ ſecuritati caveatur, civiumq; libertas dignitatē ſuam obtineat, & a periculo ſervitutis tuta ſit. Id effectum dari poſſe talibus utrinque conventionibus. Primum ſi Rex & Archi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

duces cum Ordinibus paciſcātur, tanquam cum Proceribus liberi ſtatus, in quos nullum ſibi jus ſupereſſe confiteantur. Deinde ſi perſtantibus inducijs libera ſint commercia tum ad utramq; Indiam, quæ ſpectat Orientem & Occaſum ſolem, tum ad alia dominia Regis Hiſpaniarū. Adhæc ſi Ordines interea pacifice ac ſine moleſtia poſſideant quæ ditioni ſuæ parta ceſſerunt. Poſtremo ſi aliæ cautiones adjiciantur, quas lex æquitatis, bona fides contrahentium, & rei natura conditioque poſtulare videbuntur. Se quidem arbitrari Regem & Archiduces malle pacem, ac difficulter adduci poſſe ut in inducias conſentiant. Si tamen iſtud conſilium adſpernentur, invidiam redintegrati belli penes recuſantes, gloriam experiendi omnia remedia penes Ordinum æquitatem fore : ſimul liberatum iri fidem & conſcientiam ſuorum, ſi nihil eſſet omiſſum unde tranquillitatis ſpes, & ratio aliqua reſpirandi a tantis turbarum tempeſtatibus oſtentari poſſe videretur. Hæc eadem propoſuerunt etiam Archiducum Legatis, qui conſilium minime rejiciendum eſſe, remque ſibi curæ futuram addita gratiarum actione reſponderunt. Ordines examinatis ſuper eo negotio ſententijs atque opinionibus, hac demum lege rem ad effectum deduci poſſe cenſebant, ſi libertatis honor, & jura ſupremæ poteſtatis tam validis ſanctionibus ac munimentis firmarentur, ut poſtquam induciarum tempus effluxiſſet, nihil de priſtino ſtatu decederet, aut imminueretur, ſed dignitas ſemel quæſita duraret in perpetuum, & inoffenſum tenorem conſervaret. Quæ conditio pragmaticis hominibus, qui a Philipporum partibus ſtabant, pugnare cum ipſa rerum natura videbatur. Nam quum pendentibus inducijs, niſi aliter conveniat inter diſſidentes, omnia jura utriuſque partis maneant in integro, nec ullum fiat præjudicium principali cauſæ, poſtulabatur heic ut fiduciaria conceſſio haberet authoritatem ſententiæ ſupremo judicio deciſæ, ac definitæ. Quin & hoc pacto fiebat ut

III Kal. Septembr.

Rex

Rex & Archiduces ſibi manus ligarent, & nullum exinde belli inſtaurandi titulum habituri eſſent adverſus populum, quem olim ſuo juri ſubiectum, ſimpliciter & abſolute liberum ab omni nexu fidelitatis atque obſequij in æternum pronuntiaſſent, niſi forte cauſam armorum tueri vellent hoc prætextu, quod vulgo jactatur fidem hæreticis ac rebellibus ſervari non oportere: vel quo more aiebat Brennus Gallorum Regulus, ſe jus in armis ferre, & omnia virorum fortium eſſe. Nunquam deeſt plauſibilis color hominibus ambitioſis, & rixarum anſam captantibus, ut conventorum fidem eludere queant: ſed nemo tam aperte malus eſt, quin fraudi ſpeciem aliquam juſtitiæ & æquitatis obtendat. Quidquid ſit, negarunt Archiducum Legati tale quidquam ſibi datum eſſe in mandatis, nec Principes ſuos adductum iri, ut ſub incerta ſpe futuri certum jus in accipientem tranſmittant. Quid enim tali pacto inconſultius, aut abſurdius excogitari queat? Non adeo acciſas & debilitatas eſſe opes auguſtorum Procerum, ut gratis & velut animi cauſa, florem famæ ac dignitatis ſuæ infringant, & ſpontaneam turpitudinem ſubire velint. Quanquam otium non eſt vænale purpura vel auro, nec ullo pretio ſanguis humanus æſtimari poteſt, tamen apex Maieſtatis, tanquam res nullius in bonis, pro derelicto poſſideri non ſolet, nec occupantis fieri debet. Deus eſt qui Reges inaugurat, & huic ſoli competit jus eoſdem exaugurandi. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo, & qui reſiſtit poteſtati, ait vas illud electum, præco Euangelij apud gentes, Dei ordinationi reſiſtit. Sed quanquam nullus bono & moderato civi tantus infligi poteſt dolor ex iniuria a Principe, qui eſt publicus patriæ parens, ut ſit parricidio ac rebellione vindicandus, tamē præteritorū memoriā ſi non oblivio, ſaltē ſilentium obliteret, dum contenti ſint, qui in Regē

arma

arma ſumpſerunt, non tantum impunitate frui, ſed in ſceleris mercedem ex incredibili Principum clementia atq; indulgẽtia reportare glorioſum libertatis titulum, & emancipationem a ſacramento fidelitatis. Quapropter incivile omnino, & abſurdum rebãtur pleriq;, nec diuturnum & ſtabile permanſurũ, ſi Rex & Archiduces ſine ulla temporis aut conditionis adjectione ſimpliciter omnia jura ſua tranſcriberent, nullo alio fructu propoſito quam ſpe futurarum induciarum, quaſi curatoris indigerent, & rebus ſuis ſupereſſe non poſſent, ut ad agnatos ſcilicet & gentiles bonorum adminiſtratio releganda eſſet.

III *Non. Septembr.* Igitur, ut ante cœpimus dicere, Legati Archiducum negarunt ſe inſtructos eſſe ea poteſtate, ut tanta de re quidquã decernere auderent. Satis enim cuivis liquere, etiam aulicarũ artium tironibus, quantum de Maieſtate decederet, ſi talis reſignatio conceſſa foret. Nec major erat ſpes obtinendi ut Rex liberum ad Indias commercium ab unitis Provincijs ultra cõtinuari pateretur. Quod ad cauſam religionis attineret, hoc unum expediendæ difficultatis remedium proponebant, ut quidquid huius erat, ſilentio tranſmitteretur, nec ulla eius articuli mentio fieret ſi de modici temporis inducijs tranſigeretur. Miſſum tamen eſſe prædicti conſilij exemplum ad Archiduces, & intra tres aut quatuor dies exſpectari reſponſum. Quo accepto

VII VI V *Eid. Septembr.* rem iterum atque iterum cõmunicarunt cum Legatis Regum ac Procerum Germaniæ, authoribus cõſilij, quibuſcum etiam ante collocuti erant. Non enim hæc acta ſunt in Ordinum conventu. Tandem diſertis verbis explanaverunt mentem ac ſententiam, nimirum nullo modo ſibi permiſſam eſſe facultatem, nec voluntatem ferre, ut de inducijs quidquam ſtatueretur ſub pura conventione tranſcribendi reſignandique jura ſupremæ authoritatis ac poteſtatis, ſed ſufficere debere Ordinibus, ſi tantiſper dum ſequeſtra pax duraret, conceſſu & permiſſu Regis & Archiducũ eſſẽt in fiduciaria poſſeſſione libertatis, pactumque cum illis iniretur, tanquam cum populo ſui juris,

juris, ac repub. nullius dominio ditionique ſubiecta. Quo fundamento poſito reſtituendum omnino eſſet exercitium Catholicæ Romanæ religionis per cunctas urbes & oppida, quæ ſub eorum auſpicijs reguntur, nec non deſiſtendum ab utriuſque Indiæ navigationibus. Tamen ut ſpecimen ac documentum exhiberent Archiduces, quam ex animo pacem cupiant, aut ſaltem longinquam ab armis vacationem, curabunt mittendum conceptionis illius exemplum ad Regem Hiſpaniarum, ſperantque fore ut intra finem huiuſce menſis reſponſum accipiatur. Interim ſi videatur Ordinibus, aiebant ſe paratos heic tantiſper ſubſiſtere: ſin aliud placeat, iam nunc poſſe conveniri de VII annorum inducijs ſecundum formulam earum de quibus ante conventum eſt ex conſenſu Archiducum, cui acceſſit authoritas & ratihabitio Regis Hiſpaniarum, niſi quod haud neceſſe erit injicere mentionem ceſſionum aut renuntiationum, quæ nomina renovant memoriam infandi doloris, & ſunt incitamenta veterum irarum, atque offenſionum: ſufficietque totam rem ad priores actus referri, ne rurſus exſpectanda ſit voluntas & ſententia Regis Hiſpaniarum, cui negotium iſtud induciarum minime arridet, quemadmodum Archiducibus, quorum animus ſemper a ſanguine & cædibus abhorruiſſet, ut verendum ſit ne qua facies hoſtilis occurrat, & omnia perturbet. Quod ad commerciorum libertatem attinet, curaturos Archiduces ut eam ad prædictum tempus induciarum Rex indulgeat, ratamque habere ne gravetur. De cætero daturos operam ut intelligāt Ordines nihil æqui bonique denegatum iri, quod ſalva dignitate concedi queat. Petebaturque duorum menſium dilatio, intra quod ſpatium ſciri poſſet quid animi Rex haberet circa navigationes ad Indos, utrum placeret eas ex induciarū conventione liberas eſſe, permittique bona cum venia, & gratia ſine metu hoſtilitatis, an vi & armata manu ius iſtud acquirendum & aſſerendum eſſet. Quas conditiones ſi Ordines

Q adſper-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

adſpernati eſſent, rogabantur Legati Regum & Principum, ne gratiam, authoritatem & patrocinium denegaſſe vellent, ut ipſis ad finem uſque Septembris Haghæ morari liceret, forſitan interea reſponſum ab Heſperia venturum. Hæc ubi relata fuerunt ad conſeſſum Ordinum, mirificæ difficultates, & incommodæ ſuſpiciones exortæ ſunt, quæ quum longi ſubſellij conſultationē deſiderarent, nec exiguo temporis intervallo negotiū explicari poſſe iudicaretur, viſum eſt ad præcidendas omnes morarum & fruſtrationum occaſiones Manliana ſeveritate ac peremptorio edicto denunciare Marchioni & Collegis, longe gratius & acceptius futurum fuiſſe, ſi ſe protinus Bruxellas recepiſſent, ut illic exſpectarent ſi quid ex Hiſpania venturū foret, idq; haud levibus de cauſis, quas in conſilio Legatis Regum & Procerum copioſius expoſuiſſent: cæterum datum hoc ſeriæ interceſſioni, gratię & authoritati eorundem Legatorum, quibus nefas eſſe ducerent quidquam denegari propter ingentia merita, ſtudia, atque officia, quibus ſe Ordines erga dominos eorum in æternum devinctos eſſe confitentur, ut ad finem uſque menſis Haghæ Comitis hærere poſsint, intra quod tempus ni ex parte Regis & Archiducum inſtrumenta ederentur, quibus in perpetuum ſanciretur ſtatus libertatis, & jura ſupremæ poteſtatis abſque ulla exceptione reſignarentur, continuo ipſis eſſe abeundum, nec ſperandam ullam advocationem ex interventu cujuſquam mortalium, quandoquidem ſententia ſtaret nullam poſthac indulgere comperendinationem. Acta hæc fuerunt ipſis Eidibus Septembris. Mauricio heroi, factis potius quam lentis conſultationibus adſueto, ſemper ſuſpecta fuerat tota negotiatio: quippe cui ſuper inveteratum odium adverſus gentem Hiſpanorum ob memoriam cædis paternæ, Martialem animum & fingendi ignarum pectus natura tribuerat. Tum autem amor erga patriam, & cura publicæ ſalutis eum incitabant,

ut hoſtem tum maxime metuendum eſſe arbitraretur, quum leoninis exuvijs vulpinam pellem aſſueret, nec ab armato exercitu tantum imminere diſcrimen ac dedecus, quantum ab illecebris ſubdolæ ac infidæ pacis. Si ratio fidem non faceret, ſaltem credendum experientiæ, quæ ſtultorum magiſtra vulgo perhibetur. Nec defuerat ultro monere, quoties aut conſulebatur, aut occaſio ad eam rem ferebat, ne creduli cives ſpecioſis verborum illecebris, & magnificis pollicitationibus, velut hamo cibis illito, ſeſe ineſcari paterentur, ſed prudenti diffidentia muniti caverent inſidias, nec facile Sirenum carminibus aures atque aſſenſum commodarent. *XII Kal. Octob.* Paucis poſt diebus quam denuntiata eſt Archiducum Legatis lex horrendi carminis, ut intra Kalendas Octobreis excederent e finibus unitarum Provinciarum, Princeps Mauricius dignum fama gloriaque rerum geſtarum exiſtimavit literas ad primores viros, & ad urbes perſcribere, quibus generoſam animi indolem, & ſollicitudinem ſui ſecuram tantumque pro communibus bonis excubantem ad vivum expreſſit. Nulla feſtinatio debet præterire tam præclarum fortiſſimi exercituum Ducis monumentum, cuius heic ſumma capita complexi ſumus. Quum hodie diſceptetur ſuper tam arduo magnique momenti negotio, ut ab eius puncto pendeat ſalus aut pernicies unitarum Provinciarum, muneris noſtri atque officij eſſe duximus, ut nobilitas & primariæ civitates agnoſcant quæ ſit animi noſtri ſententia ſuper tali tractatu, ſimul ut in medium conſulatur, & aperiantur rationes idoneæ ac neceſſariæ, quarum ope ſaluti & ſecuritati publicæ provideri queat, ut ijs accurate ſubductis atque examinatis, inde ſumantur quæ ex uſu communi fore videbuntur. Satis ſuperque notum eſt unicuique rerum patriæ non ignaro, quibus artificijs uſi ſint hoſtes, quum primum ad hanc pacis negotiationem viam affectarunt. Nam ſolenni de more propoſuerunt ab initio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

conditiones in ſpeciem valde expetendas, & honorificas, quibus hoc unum aſſequi ſtudebant, ut Ordines talibsu blandimentis deliniti mutuum colloquendi commercium haud adſpernarētur. Quum enim intelligerent nullum alium patere acceſſum apud civespro tuenda libertate tam ſollicitos ut omnia tuta timerent, niſi ingenti aliquo pignore fidē facecerent ſe ex animo pacem velle, teſtati ſunt Regem & Archiduces paratos eſſe haſce Provincias agnoſcere, tanquam liberam remp. ſui juris ſuæque ſpontis ac poteſtatis, in quas nihil ultra quidquam prætenderent, & utrique populo ſalva atque intacta manſura quæcunque poſſiderent. Sed progrediente tractatu, & eventu magiſtro compertum eſt facta dictis diſcrepare, nec exitum congruere cum principio, nec effectum ampliſſimis pollicitationibus reſpondere, ut heic vere poſſit uſurpari verbum vetus, parturijſſe montes ut ex tam ambitioſo nixu ridiculus mus enaſceretur, & mulier ſuperne formoſa deſineret in atrum anguem. Nihil præter ſolitas artes, verſutias & fruſtrationes experti ſumus. Magno paratu ac typho oſtentata eſt pax tanquam Palladium, ac pignus imperij, quo fata Belgarum continerentur, ſed propoſiæ ſunt in medium, & poſtulatæ conditiones eiuſmodi, ut quodvis cum periculo bellum fortibus viris potius eſſet amplexandum, quam tam iniquis, tam abſurdis, tam fœdis legibus aſſentiendum. Nihil magis ſperare poterat hoſtis, ſi magna pugna victi eſſemus, & pene ad internecionem deleti, quam quod per amicæ compoſitionis fucum a volentibus impetrare conatus eſt. Poſtquam hac non ſucceſſit, alia aggreſſus eſt via, mirabilique artificio paſsi ſunt ſibi perſuaderi Oratores Regum ac Procerum, ut conclamato pacis negotio proponerent Ordinibus conditiones induciarum, tanquam unicum rebus afflictis levamen, abſque quo ſalvi eſſe non poſſemus, quum tamen nihil magis hoſti prodeſſet, nihil minus rationibus noſtris conduceret. Nam impetrata ceſſatione ab armis, Regi & Archiducibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ducibus integrum erat exhauſtum ærarium ſupplere , vires novas parare, commercium bello interruptum rurſus inſtaurare, mederi calamitatibus & incommodis, quæ civiles motus comitari ſolent: denique beneficio tranquillioris ſtatus frui ſine cura, ſine metu, ſine extraordinarijs ſumptibus atq; impenſis. At Provincijs unitis, quibus una ſalus in armis, hoc pacto magna damna & detrimenta importabantur. Nam ob vicinum ex hoſte metum dimitti exercitus non poterat abſque perpetua ſollicitudine, ideoque neceſsitates & onera nulla ex parte relevabantur, & in viſceribus reip. habendi erant Sinones apertis hoſtibus longe magis formidoloſi. Nam viro forti non eſt defugiendum certamen adverſus armatum, qui animum nocendi præ ſe fert. At iſtud malum inteſtinum citius opprimit, quam animus ſeſe componere poſsit ad reſiſtendum. Et quod pernicioſius eſt, vix ulla cautione procurari poteſt & averruncari hæc peſtis. Nam quum ceſſatur ab armis, utrique populo liber commeatus & acceſsus ad alteram partem patere debet, aut pactiones bona fide non ſervarentur, & inde querelarum ſeges exſiſteret. Interim commercia, quibus potiſsimum ſtant opes ac vires harum Provinciarum, paulatim dilaberentur, & hoſtium civitates ex ruinis noſtris creſcerent, vectigalia minuerentur, nec ſuppeteret unde militibus ad tutandos fines neceſsarijs ſtipendia ſolverentur. Hinc turbarum & ſeditionum materies, certa labes ac pernicies rerump. aut nudari urbes præſidijs neceſse eſset, & ſic omnia fierent oportuna inſidijs eorum, quibus nihil deeſt ad inexplebile odium exſerendum præter occaſionem. Hoc modo, veluti ſuccisis imperij nervis, corpus reipub. & ab externis, & a domeſticis hoſtibus obſeſsum fatali morbo conflictaretur, cui vix ipſa ſalus, ſi cupiat, mederi poſset, nec humanitus alium mali finem præſagimus, quam ut tandem (abſit omen dicto) delabamur ad fœdam neceſsitatem ineundæ compoſitionis, cui comes adhærebit ruina lamentabilis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

aut ſervitus morte triſtior, & quovis ſupplicio magis deteſtanda viris ad decus ac libertatem natis. Hęc emolumenta ſperanda ſunt, hi fructus, hæc præclara merces ex pacto induciarum, etiamſi conventiones ſincera fide ſerventur. At nunc ſubinde aliæ atque aliæ leges proponuntur. Nam quum ab initio facta fuerit mentio XV aut XX annorum, nunc ad IV aut V aut VII annorum ſpatium petitio reſtringitur, quin etiam actum eſt ut induciæ labentes in annum unum prolatarentur, non alio fine ac propoſito quam ut animis per tædia & moras detepeſcentibus, obrepat ſenſim oblivio libertatis, utque deliniti cives fallacibus blanditijs ac promiſſis, jura Majeſtatis e manibus elabi patiantur, contentique ſint nudo ſimplicique teſtimonio Archiducum, quo tanquam liber populus agnoſcantur. Nec deſunt qui oleum camino addant, & hunc errorē exitioſum reip. ſpecioſis rationibus fovere contendāt. At abunde liquet ceſſionem imperij Belgarum factam a Rege Philippo II in gratiam filiæ tot eſſe circumſcriptam conditionibus, ut ſemper maneat appēdix Hiſpanicæ dominationis, præſertim quū ex matrimonio nulla ſit nata proles, nec magna ſuperſit ſpes fore ut ulla naſcatur, niſi forte dono divū obtingat aliquis filius promiſſionis. Hinc fit ut Archiducibus minima facultas relinquatur reſignandi jura majeſtatis, niſi accedat Regis authoritas, ſub cujus auſpicio & ſacramento militat quidquid eſt hodie copiarum Hiſpanicarum in Belgio. Quæ

Eid Septembr. CIↃ IↃ C VIII.

rationes impulerunt conſeſſum Ordinum in eam ſententiam, ut decernerent huiuſmodi conſilia prorſus videri repudianda, ceſſionemque ſupremæ poteſtatis concipiendam eſſe diſertis verbis ex formula quā in primo pacis articulo præſcripſerunt, re multum deliberata communicataque cum Regum ac Procerum Legatis, eamque ſuffragio ſuo comprobarunt ipſimet hoſtium Legati. Quocirca nihil heic movendum eſt, nec aliud fundamentum paciſcundis inducijs ſubſtrui debet, quam quod ante jactam fuit quum de pace agitaretur. Nam re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

vera ſi Rex & Archiduces ingenue ac ſine fuco juribus ſuis renunciare decreverunt, non eſt quod nodum in ſcirpo quærant, aut ſcrupulum movere debeant circa conceptionem verborum, quæ ex communi prudentium conſenſu neceſſaria judicantur ad exprimendam dilucide puram renuntiationem. Si nova formularum aucupia captantur, & ambiguæ voces placent, id evidenti argumento eſt, de induſtria rem geri ut contractus ſit irritus, inutilis, ac nullius momenti. Quorſum enim nomina, niſi ut exprimant voluntatem ac ſententiam loquentis aut ſcribentis? Qui circa ſyllabas, aut vocabula difficilem ſe ac moroſum præbet, longe videtur abeſſe a propoſito conſentiendi. Veſtrum igitur eſto judicium an in rem & ex uſu publico ſit Majeſtatem populi, decus ac dignitatem imperij, jura libertatis civium inniti tam infirmo fragilique fundamento. Vehementer autem errant qui perſuadere conantur nobis non eſſe opus ulla declaratione adverſariorum ad firmandam ſupremæ poteſtatis vim atque authoritatem. Nam etſi noſtro Marte, & optima lege ius iſtud partum habemus, tamen ut apud externos Principes & populos eiuſce rei fides conſtet, non tantum nobis utile eſt, verum etiam neceſſarium Regiæ ceſſionis inſtrumentum, ſimul ut ſubditorum animis penitus infixum ſit, non eſſe amplius adorandum veteris imperij ſolem ab Occidente. Semper autem vacillabunt, & fluctuabuntur mentes, donec hoc quaſi tibicine ſtabiliantur. Adhæc quum induciæ plerumque fiant, ut per eas ad perpetuam pacem via muniatur, cui bono ceſſationem ab armis paciſci, niſi ut huic velut fundamento ſuperſtruatur ſpes & ratio redeundi in gratiam cum hoſte? Quem vero colorem poteſt obtendere, quominus loquatur perſpicue, & ſine ambagibus renuntiet juri harum Provinciarum, niſi quod fraudem meditatur, & nos captione verborum circum-

circumvenire contendit, quippe quum intelligat abſque tali renunciatione ſpem fidæ manſuræque pacis prorſus eſſe conclamatam? Merito lætati ſumus poſtquam nobis renuntiatum eſt generoſum animi veſtri propoſitum, quo fraudes iſtas & verſutias eſtis averſati, nec dubitamus ex fiducia veſtræ in publicum bonum propenſionis, quin conſtanter in tali decreto ſitis perſeveraturi. Tamen quum peritus belli dux eos potiſſimum adhortetur, quos ad præliandum animo paratiſsimos eſſe videt (nam imbellibus, atque ignavis verba virtutem non addunt) etiam atque etiam vos rogo atque obteſtor, ut fortiter in cauſam incumbatis, tantoque impenſius, quod præſagit nobis animus nullum genus artificij omiſſum iri quo conſtantia veſtra labefactari queat, ſaltem hoc agetur omni ope conſilioque, ut inſidioſis clauſularum & exceptionum ambagibus integritas veſtra, & bona fides in fraudem illiciatur. Quam ad rem nec popularis ſuadela deerit fucata ſplendidis rationibus, ſed præcipue extollentur vires Regis Hiſpaniarum, qui ab ortu ſolis ad occaſum magnam orbis partem imperio ſuo ſubiectam tenet, deprimetur veſter ſtatus, objicietur ineluctabile telum neceſſitatis, quaſi reſp. eo anguſtiarū redacta ſit, ut niſi pax aut induciæ fiant, nullo modo ſtare poſſitis. Quæ tantum abeſt ut vobis formidinē incutere, aut propoſiti conſtantiam imminuere debeant, ut potius dignum viris fortibus & magnanimis eſſe videatur, juſtam indignationem animo concipere, & illud ſupra ſortis humanæ conditionem poſitum uſu veſtrum facere NEC SPE, NEC METV. Nulla eſt minarum authoritas apud liberos homines, qui mortem ſervituti anteponunt, qui oppetere pro patria pulcherrimum augurium putant, nedum apud heroum pectora, qui virtute nemini cedunt, qui fama nominis, & rerum geſtarum gloria maria ac terras impleverunt. Sit ſane, ut eſſe ultro fatemur, omnium late dominantium facile princeps Philippus, dum ſciat ſibi non eſſe rem cum imbellibus,
&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

& inermibus populis novi orbis, qui ſe lanionum cultris more miſerarum pecudum trucidandos obiecerunt. Eſt illi certamen cum viris fortibus, cum ingenuis civibus, cum gente ad decus & gloriam nata, quæ letho peius timet flagitium, & malum nomẽ, quæ vita bene credit emi dona diȩ libertatis. Non provocamus bella, ſed nec timemus. Quam ſit nobis pectus inacceſſum terroribus, nemini melius quam hoſti creditur. Quis enim prior mentionem pacis iniecit? ad quos mittuntur Legati? Non quod abhorreamus a quietis conſilijs, non quod aliter clari & honorati eſſe non poſſimus, quam indeſinenter bellum gerendo ſine ſpe miſſionis, aut perpetuo manſuræ pacis. Sed pacem ſine exceptione volumus, ſine fuco, ſine dolo, quæ nomini conſonet ac reſpondeat, quæ non ſit introductio ad ſervitutem, quæ ſalva dignitate contingere poſſit. Peſſima ſane eſſet noſtra conditio, & ſimilis vitæ prædonum ac piratarum, ſi nunquam figere anchoram in beatæ pacis, & quietis portu ac ſinu liceret. Si ſemper carendum eſſet iſto bono, quod Servator generis humani diſcipulis ſuis legavit, tanquam pretioſiſſimũ depoſitum, ac fidecommiſſum noviſſimæ voluntatis. Sed quum nulla fida vel diuturna pax eſſe poſſit niſi ubi mentes pacatæ ſunt, & quum ſublato armorum metu animus non retinetur armatus, idcirco ad eam duci poſtulamus non trahi, rationibus perſuaderi non cogi minis. Quæ nihil nos terrent, quibus pace ſuſpecta longe tutius & honeſtius eſt bellum, imo potius cum dignitate cadendum quam cum dedecore & ignominia ſerviendum. Metus & terror in tales animas non irrumpunt. Geſta noſtra ſatis fidem faciunt, de quibus nulla unquam ætas conticeſcet. Si æqua, ſi honeſta poſtularentur, primus eſſem ſuadendi author ne iterum ad arma, & in campum Martium procederetur, qui etſi ſeges eſt noſtræ gloriæ, unde nomen par æternitati per cunctas gentes obtinemus, tamen non ſumus adeo ſteriles virtutum, ut qui gravißimis jactati bellorũ tempeſtatibus rectum

imperij clavum moderari potuimus, tranquillo mari curſum tenere nequeamus. Sed quod hoſtis ex neceſſitate pacem nobis obtrudere conatur, qua nihil magis voluntariũ eſſe debet, id puerile terriculamentum eſt, & alieni timoris argumentum. Vt qui parum procero corpore ſunt cothurnis ſtaturam adjuvant, ita qui maxime timent plerumque minaciter agunt ut hoc pacto ſe formidoloſos reddant. Sed hæ fraudes nimis pellucent apud eos qui perſpiciunt animos ſub pelle vulpina latentes. Canum degeneres aiunt vehementius latrare quam mordere,&altiſſima quæque flumina minimo ſono labuntur. Torrentes ruunt magno fremitu,ſed dum effuſo agmine præcipitant,impune vado tranſiri ſolent. Ego ſane mori me malim, quam ad indignas viro magnanimo conditiones neceſſitatis obtentu compelli. Quem armati exercitus non terruerunt, inanes minæ & maieſtas ſine viribus de gradu conſtãtiæ non demovebunt.Nec vos aliter animatos eſſe convenit, ſi priſtinæ virtutis memores eſſe velitis. Nullum beneficium eſt quod extorquetur ab invitis:multo minus quod confertur in invitos. Si communiter expedit pacem, aut inducias componi, pedibus omnes omnes in eam ſententiã eamus,ſed animis volentibus, nec alia vi protracti quam utilitate cõmuni,quam ſalute populi,quæ patriæ partibus,& civicæ libertatis aſſertoribus ſuprema lex,& ſanctiſſimi moris inſtar eſſe debet. Nam ſi quid rationibus noſtris pernicioſum hoſti conceſſerimus,tanquam coacti viribus ineluctandæ neceſſitatis,nec gratia nobis eo nomine debebitur, & haud dubiam timoris atque imbecillitatis ſuſpicionem præbebimus,quod in tam illuſtri theatro nequaquam eſt committendum. Nulla res major hodie ſub ſole geritur, quam iſta de pace vel inducijs conſultatio. Iamdudum arrectæ ſunt mentes multorũ Principũ & populorum exſpectatione quorſum evaſura ſit.Si unquã fortibus animis eguit reſp. ſi præſidia ſalutis & libertatis civium prudẽtibus conſilijs munienda fuerunt, nunc illud eſt oblatum tempus

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

quo ſapientiæ ſimul & magnanimitatis ſpecimen exhibere oportet. In primis autem ſumma ope niti decet, ut Palladium iſtud publicæ dignitatis, quo ſancitur imperij Majeſtas, religioſe conſervetis, nec ullis captioſis exceptionibus, aut perplexis verborum ambagibus fidem veſtram circumveniri ſinatis. Nulla poteſt eſſe nimia cautio circa curam conſervandæ libertatis, ſub cuius auſpicio tanta bella terra marique pugnaſtis. Agnitio legitimæ veſtræ authoritatis firmata conſenſu & confeſsione ipſius hoſtis aditum patefecit ad ineundum de compoſitione colloquiū, nec alia lege unquā provinciæ adduci potuiſſent ut de pace Legatos admittere vel audire vellent. Hærebat enim in animis memoria præteritorum, & quam ſæpe circumſcripti eſſent Belgæ ab Hiſpanis per ſpeciem tentandæ reconciliationis. Itaque rebus etiam maxime afflictis, & temporibus difficillimis, quum reſp. nutaret, ac vergere in occaſum videretur, ſeniores veſtri palpum pacis obtrudi ſibi noluerunt, etiamſi Reges ac Proceres talibus conſilijs authoritatem ſuam interponerent. Piſcator enim ictus ſapit, & injuſte Neptunum accuſat qui ſemel naufragium paſſus iterum ætatem ſuam credit irato mari. Iam prope per annos XXX in hoc generoſo conſtantique propoſito perſeveratum eſt, quo magis conniti debemus, ne florentiſsimo rerum noſtrarum ſtatu quidquam indignum indole virtutis commiſiſſe, & a majorum gloria degeneraſſe arguamur. Cum hoſte potentiſſimo nobis res eſt, eodemque capitalibus odijs inflammato, qui ſi eſſet a natura propenſus ad lenitatem & clementiam, tamen ei per Inquiſitorum violentiam uti moribus ſuis non licet. Huic ſi quid remiſerimus per formidinem aut ignaviam, unde vires noſtræ debilitentur, nullo ſe beneficio devinctum eſſe interpretabitur. Nam Reges & Principes inflati fortunæ ſuæ magnitudine omnia tanquam in ſolutum accipiunt, & longe plura ſibi deberi putant, præſertim ab ijs qui antea nexu clientelæ vel fidelitatis obligati

erant. Quum adhibita fuerit omnis cautio, quæcunque ab humana providentia ſollertiaque concipi poteſt, tamen ſalutaris diffidentiæ præſidio, tanquam Ægide Palladis, aſsidue muniri nos oportebit, ſi noſtra nobis incolumitas, & populi ſalus curæ eſt. Igitur ne minimus quidem apex de ſolennibus formulis detrahi debet, nec quidquam de jure remittendum, ne judicium veſtrum metus eſſe videatur, & uno conceſſo ſemelque inclinatis ad aſſentiendum & indulgendum mentibus graviora longe, & injuſtiora poſtulētur. Vbi Majeſtatis jus agitur media via neutiquam eſt eligenda, nec ſufficit fortiter incepiſſe niſi ad finem uſque conſtanter in priſtina ſententia permaneatur. Nihil æque dedecet ampliſsimum Ordinem, quam opinionum inſtabilitas & commutatio voluntatum. Iungenda ſunt facta conſultis, ut ſciant hoſtes vobis decretorum rationem conſtare. Nec privati commodi reſpectus, ſed utilitatis publicæ ſtudium, & amor erga patriam me movet, ut iſtud conſilij vobis impartiar. Nam nihil tam rationibus meis, atque adeo toti noſtræ familiæ cōducit, quam fida, tuta, ſimplex & honeſta pax. Sed officium & fides nobis omni lucro atque emolumento ſunt potiora. Pater fœlicis memoriæ, & nos haud degener ſanguis a paternis laudibus atque virtutibus, abhinc annis fere XL nec ſumptui ullo, nec labori, nec vitæ ipſi pepercimus ut harum Provinciarum dignitati ac libertati conſuleremus. Et quod ſine nota exprobrationis aut arrogantiæ dictum ſit, multas admodum luculentas conditiones, quæ vehementer ad amplitudinem & gloriam noſtræ domus pertinebāt, adſpernati ſumus, ne rationes ab utilitate cōmuni ſejunctas haberemus. Pater fundamenta reip. jecit, ſed in curſu maximarum rerum, ſcelere ac fraude peremptus Hiſpanicæ crudelitatis triſte documentū prębet. At hercle me vivo & incolumi nō deerit ultor infandæ cædis, nec acerrimus propugnator civicæ libertatis. Mori pro patria poſſum, ſi occubitu meo ſalus ac libertas populi redimi queat:
ſervi-

ſervire non poſſum, nec debeo, nec fas eſt tot rebus præclare geſtis, ut ſatis ſuperque proviſum ſit, ne unquam decus ac fama noſtri nominis intermori poſsit. Plane decretum eſt nobis, quantum authoritate, gratia, conſilio, præſentique animo pollemus, eniti atque omni cura & vigilantia providere, ne callidis adverſariorum artibus, ac verſutijs faciles animi civium ſeſe circumduci patiantur. Non deſeram honorificam ſtationem, in qua me favor veſter collocavit, & opinio quædam haud infimæ notæ virtutum, quas in nobis ſitas eſſe animadvertiſtis, & hoſtes magno ſuo damno ſunt experti. Quidquid hactenus Dei benignitate fretus effeci, quidquid in poſterum ſperare poſſum me effecturum, id omne vobis, reique publicæ, & ſaluti civium voveo conſecroque. Nullius me periculi terror unquam de gradu ac ſtatu magnanimitatis deturbabit, quamdiu mihi mentem ſanam fata ſervabunt. Magnis multiſque pignoribus fidem & conſtantiam unitis Provincijs obſtrinxi & approbavi, nihil eſt quod majori contentione vos rogem, precer, adiurem atque obteſter, quam ne per cuniculos & fraudulentas pactiones iura libertatis ſubverti ſinatis, quos aperta vi & Martia virtute potentiſſimi terrarum orbis regnatores per tot annos debellare non valuerunt. Hæc rationum pondera, & quæ plura in eandem ſententiam depromi poterant, conſignata literis a tam inſigni belli duce, qui rem, fidem, libertatem, decus atque gloriam unitarum Provinciarum tot adoreis atque illuſtribus victorijs inſigniverat, ut nemini veterum virtute, ac rerum geſtarum magnitudine ſecundus eſſe videretur, mirificum ardorem animis hominum addiderunt, adeo ut plerique longe conſultius eſſe judicarent inſtaurare bellum & aperto Marte rem aggredi, quam ulterius incedere per ignes illos ſuppoſitos cineri doloſo. Nihil ſimpliciter, nihil bona fide geri, cuncta ficta eſſe & ſimulata. Conditiones proponi non animo impetrandi, ſed ut illudatur credulitati civium, ut patientia tentetur, & interim ela-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

bantur dies, intercidantque rerum gerendarum oportunitates. Quocirca fixum & immotum ſtetit abrumpere totam iſtam lentam materiem, nec dieculæ quidquam indulgere ſupra præfinitum tempus. Id ubi tanquam haud amplius movendum innotuit Marchioni & Collegis, ne veluti inertes poëtæ in extremo actu corruerent, rurſus adierunt Legatos Regum & Procerum, diverſiſque vicibus colloquuti ſignificarunt hoc eſſe quaſi noviſsimæ voluntatis depoſitum ex parte Archiducum, qui ab Rege rem ratam habitum iri repromittebant, nimirum ut cum Ordinibus conventiones inirentur, tanquam cum gente libera nulliuſque juri ac ditioni ſubiecta, quæ non agnoſceret dominum præter Deum. Vtrique populo liberam fore poteſtatem terra marique commeandi commercandique abſque omni metu hoſtilitatis intra fines dumtaxat Europæ. Spem bonam eſſe Regis animum eo impelli poſſe, quamvis nondum certo ea de re conſtet. Legatis Regum Principumq; cauſa non videbatur cur talia referrentur ad Ordinũ conſeſſum. Neque enim putabantur unquam paſſuri ut ipſis Indicæ navigationes adimerentur, & omnino volebant ſimplicẽ ac ſine ulla conditione ceſsionem ſupremę poteſtatis. Igitur ſublata ſpe quidquam proficiendi, ne cum temporis diſpendio famæ periculum jungeretur, ſi longiores moras abiectis precibus paciſci inſiſterent, proficiſcendi conſilium cepere, omniaque ad iter neceſſaria præparata ſunt conductis navigijs, præmiſsiſque impedimentis. Reliquos dies ſolennibus officijs & peragendis amicitiæ imitamentis impenderunt. Certamen erat quinam aptius Afranij Simulantem agerẽt, & hiſtrioniam exercerent. Vltimo die Septẽbris Marchio cum Præſide Richardoto, & Iohanne Mancicidore venit in concilium Ordinum ut ipſis valediceret. Ibi Præſes explicuit copias ingenij atque eloquentiæ in accuſanda obſtinatione animorum, quæ tam præfracte ac rigide propoſitum urgeret, ut fato

VI II Kal. Octob.

quædam

quædam calamitas mentibus hominum incubuiſſe videretur. Conſtantiam non in pervicacia ſitam eſſe oportere, ſed in moderatione. Libertatem & ſingulis hominibus, & civitatibus atque imperijs hac demum lege fructuoſam glorioſamque cenſeri, ſi modus ſervetur, ſi temperamentum adhibeatur, ſi non degeneret in effuſam atque effrænem, & ſui impotentem licentiam, qua non eſt ullum pernicioſius depoſitum apud neſcios gubernandi. Conſiderarent etiam atque etiam varios & ancipites rerum humanarum caſus, quam omnia mortalia pendeant tenui filo, quas conditiones adſpernarentur, nulla re niſi virium fiducia elati. Præſenti fortunæ, ac proſperitati ne nimium crederent, quæ momento mobilis horæ mutari poſset, funeribus interdum miſceri triumphos, triumphis funera. Nunquam magis cohibendam eſse inſolentiam, quam ubi ex voti ſententia, & ad voluntatis nutum res procedunt. Vltro jam offerri a ſummis Principibus ea quæ vix ante quiſquam auſus eſset ſperare. Non ſemper manſurum eundem animum, & forte venturum aliquando diem illum, quo prætermiſsam occaſionem fruſtra deſiderabunt. Quemadmodum majore periculo ſunt ægri, qui quum ex adverſa valetudine recreari cœperunt ſtatim rurſus in morbum incidunt, ita maxime ſunt infeſta bella quæ renovantur de integro poſtquam magno molimine cœptum eſt de pace vel inducijs diſceptari. Per quos ſtetiſſet quominus diſcidia componerentur, in eos redundaturam invidiam atque infamiam omnium cladium & calamitatum quæ ex inde orirentur. Se puros & immunes iſtius culpæ futuros coram Deo cuſtode Regum ac Regnorum, coram item hominibus qui reverentiam ſceptris debitam pro dignitate, & merito æſtimare didicerunt. Reſponſum eſt ab Ordinibus quaſi per relationem criminum in adverſarios, nihil eſse ab ſe relictum inexpertum ut ad fidam, honeſtam, tutam & ſtabilem pacem

perveniri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

perveniri poſſet, ejuſque rei teſtem citabant conſcientiam ipſorum delegatorum, a quibus eadem fides, & ſinceritas ſervata non eſſet. Nam neque obtineri potuiſſe ſimplicem & puram tranſcriptionem jurium Majeſtatis, quum tamen haud alia lege placuiſſet admitti ullam pacis mentionem: nec cæteras poſtulationes fuiſſe hujuſcemodi, ut ullo modo concedi poſſent abſque irreparabili damno ac detrimento unitarum Provinciarum. Marchio etiam paucis, ſed efficacibus ad perſuadendum verbis, quæ viro militari ſufficiunt, oſtendit quam ſibi grave, & moleſtum accidiſſet, quod tamdiu fruſtra deliberando tempus extractum foret, quodque rebus infectis diſcedere cogerentur. Eodem die quum excepti fuiſſent epulo a Principe Mauricio, dederunt ſe in viam, ſed magnifice prius litatum eſt hoſpitali Iovi, præſertim a Marchione qui regio luxu & apparatu vitam agitabat. Non eſt omittendum ſilentio quod fœcundam materiem varijs ſermonibus præbuit, nimirum repertum fuiſſe in cubiculo Præſidis Richardoti inſtrumentum ſignatum manu Archiducum quo continebantur mandata ſervanda circa negotium ineundæ compoſitionis. Erant nonnulli in ea ſententia ut exiſtimarent per incogitantiam, & oblivionem depoſitum iſtud non fuiſſe aſportatum dum abire feſtinant. Alij offuſam a Deo caliginem mentibus alioqui cordatiſſimorum hominum opinabantur, ut hoſtium artes atque inſidiæ cœlo oſtenderẽtur. Mihi neutrum horum unquam perſuaderi potuit, nec profecto verum, aut ſaltem veriſimile videtur virum maximis rebus exercitatum, quo adminiſtro fœliciter tractata ſunt ingentia negotia, quæ difficillimos explicatus habere judicabantur, ſine conſilio reliquiſſe domi pignus ſacro ſilentio obſerandum, imo pene capitis periculo ſanciendũ, ſi culpa eius diſpaleſceret in vulgus. Nunquam enim in homine fuiſſe deprehenſam ullam dubiæ ſanitatis, aut delirij notam, ut poſt tanta ſapientis animi documenta, poſt tot præclara merita quibus

quibus orbem Chriſtianum devinxiſſet, tam inconſiderate & incircumſpecte circa rem maximi momenti ſeſe traducendum præberet, ut decoctor eſſet omnis ante partæ exiſtimationis. Nec aliter ſenſerunt præſtantes fama meritiſque viri, quos doctrina, & uſus multiplex rerum reddiderat ſolertes, atque idoneos, ut de talibus negotijs incorrupto judicio ſententiam ferre poſſent. Adde quod ſi tam magna peccaviſſet per oſcitantiam, aut latam culpam quæ dolo comparatur, vel detrimento famæ mulctatus eſſet, vel aliqua cenſoriæ ſeveritatis nota adſperſus. At contrà fuit in flagranti gratia apud priſtinos dominos, ut appareat conſilium non errorem fuiſſe, politicū ſtratagema non caſum. Interim ex quo repertus eſt iſte theſaurus, ſtatim exſtiterunt & interpretes qui operā ſuam locarunt ut diverſis linguis arcanū imperij evulgaretur, & typographi qui manſuris notis exemplaria per varias terrarū oras diſtribuenda curarent. Id quidem factum eſt ea fine & mente, ut conciliaretur ſiniſtrum nomen Archiducibus, quaſi parum ſincere & candide verſarentur circa ſuſceptam pacis aut induciarum negotiationem. Sed præterquam quod mali exempli fuit talia publici juris facere, nihil inibi eſt quod benignæ mentes in meliorem partem interpretari non debeant. Quædam quidem ſunt hujuſmodi ut non expedire videatur ea omnibus innoteſcere velut quæ fomentum ſuggerere poterant ad committendos inter ſe mutua æmulatione Legatos Regum, & quæ peculiariter de Præſide Iannino memorabantur, in primis autem quæ de adſciſcendis in patronos Archiducibus ibidem continebantur: ſed niſi ſervata fuiſſet nonnulla ſpecies rerum taciturnitatis horrore tegendarum, nimis aperte fraus & fucus ſuboluiſſet. Doli enim non ſunt doli aſtu colas. Non invitus delabor ut aſſentiar hoc ipſum inſtrumentum eſſe, quo potiſſima mādatorum pars continebatur, ſed utrum quædam interioris notæ reſervata fuerint in mente dominorum Curiæ, tanquam rem haud ſatis com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

pertam judicio cuiuſque excutiendum relinquo. Paucis perſtringam ſumma capitum faſtigia, quæ ſcriptum iſtud complectebatur. Primū multo cum honore, & cum ſignificatione benevolentis animi nominabātur delegati ab Archiducibus, eorumq; profectio proſperis ominibus excipiebatur, ut omnia illis ex animi ſententia ſuccederēt. Addebatur præceptum ut ſic rationes inſtituerent cum Legatis Regū Galliæ, & Magnæ Britanniæ, Daniæ tanquam ipſis attribueretur maxima rerum verborumque fides, ſed tamen adjunctæ erant rationes quibus admoneri debebant ut comiter paterentur ſe in ſocietatem curarum non admitti. Recte quidem & ordine facere videri Proceres unitarum Provinciarū, quod talium præſtātium virorum conſilio, gratia & authoritate plurimum fiderēt, nec aliam eſſe mentem Archiducibus, ſed non opus eſſe ut quotidianis eiuſmodi moleſtijs generoſæ mentes eorum defatigentur. Cæterū quum ſatis conſtaret eos fore participes omnium arcanorum, quæ ab Ordinibus in deliberationem deducerentur, nec quidquam clauſum ipſis aut obſignatum futurum, præſcribebatur deputatis Archiducum ne ullam diffidentiæ ſuſpicionem præberent, ſed potiſſimum in eam curam incumberent, ut Præſes Ianninus extra ordinem ſciret ſibi fidem haberi ſine ulla exceptione, nec dubitare Archiduces quin præter ea quæ ſibi in mandatis data eſſent, ſua ſponte ſit omnem adhibiturus providentiam ac diligentiam, unde res explicatu difficiles ad moderationem & æquitatem revocari queant. Idem iniungebatur ſignificandum eſſe Legatis Magnæ Britanniæ, ne per æmulationem animi ad ſimultates accenderentur. Adjuncta erat faceta & lepida cautio, ut pro ſua prudentia diligenter expenderent, & tanquam horribile arcanum revelarent ea quæ veriſimili conjectura colligere poterant ipſis non eſſe ignota, ſilentioque tegerent quæ non expediret ſciri. Hæc quodammodo in anteceſſum prēmittebantur, quibus ſubjecta erat commendatio diligens Romanæ Catholicæque religionis, ut liberum & publicum eius exerci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

tium per fœderatorum Ordinum ditiones concederetur ſine ulla mulcta, moleſtia aut impedimẽto. Quod ſi quis moveatur ſcrupulus ad illud pium & ſalutare propoſitum retardandum aut prohibendum, erit ex adverſo regerendum quam faciles & liberales fuerint Archiduces in reſignando iure ſupremæ poteſtatis, quo dono nihil majus votis optari poterat. Huc accedit quod in tali re nihil ante oculos haberẽt præter gloriam æterni Numinis, præterq; animarũ ſalutem, & conſcientiarũ tranquillitatem. Quid quod etiam utilitas unitarũ Provinciarum in hoc cardine vertitur? Nam ſi Catholicis hominibus beneficium iſtud indulgeatur, ne ex cauſa religionis ullo modo inquietari poſſint, confluet illuc ingens mortalium numerus, unde publica fœlicitas, & opes admirabile incrementũ ſumẽt: ſiquidem uſu compertum eſt nulla re magis ſtabiri ſalutẽ & incolumitatẽ regnorũ aut rerump. quã civium frequentia & celebritate. Quod ſi tale poſtulatũ eludere conabuntur, & objicere volent in terris Archiducum idem ius eſſe permittendum quod in alios ſtatuere ſtuderẽt, reſponſio in prõptu erit, diverſam prorſus eſſe rationẽ priſcæ religionis, & huius recẽs introductę. Nã a Catholicorum partibus ſtare æternũ Dei verbum, perpetuam ſucceſſionis ſeriem, univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem, ritus ceremoniaſque ſacrorum, authoritatem canonum, decreta conciliorum, & quæcunque iuſtam venerationem religioni conciliare poſſunt. Per multa ſecula non aliam fuiſſe cognitam externam Eccleſiæ Chriſtianæ formam præter eam quam Catholici profitentur. Novitiam iſtam doctrinam malo more, & pernicioſo exemplo invaſiſſe in alienam poſſeſſionem dejectis legitimis ſucceſſoribus, quorum bona pro poſſeſſore detinentur, omnia deformaſſe titulo ementitæ reformationis, ſubditos in Principes armaſſe, quum tamen nihil æque ſuffragio ſacrarum literarum ſanciatur quam obſequium erga ſuperiores. Denique Catholicos eſſe fratres ejuſdem generis & ſanguinis, qui pro virili parte cau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſam libertatis aſſeruerunt, ideoque valde inhumanum & parum conſentaneum Chriſtianæ charitati foret ijs adimere liberam colendi Numinis, exercendæque religionis facultatem. Hoc caput ex ſummis viribus urgendum erit, & advocandus in partes Præſes Ianninus, ut fortiter in communem cauſam incumbat. Non enim minus intereſſe regis Galliarum ut religio Catholica Romana longe lateque propagetur, quam Regis ipſius Catholici, ſiquidem veræ ſinceræque converſionis fidem adſequi ſtuderet. Alioqui juſta reprehenſione non cariturum ſi tanti momenti negotium, in quo ſalus animarum verſatur, inſuper haberet, & neglecta præterfluere pateretur. Satis enim conſtare quantũ Rex liliger authoritate & gratia polleret apud Ordines, quorã menteseius nutum, tanquam alicuius e cœlo delapſi Numinis intuerentur. Nihil denegatum iri ſi totas animiconſilijq; vires explicaret, ut ſummis & imis exploratũ ſit eam remRegi tam eſſe cordi, ut nullo magis pignore gratiam & benevolentiã eius demereri queant. Quod ad jus ſupremæ poteſtatis attinet, dabatur in mandatis ne verbum ſuper ea re cũmutarent, ſed Ordinum arbitratui cuncta permitterent, ipſi formulas conciperent quaſcunque collibuiſſet, paratos eſſe Archiduces omnia manu ac fide ſua comprobare ne datum repoſcere viderentur. Commerciorum libertatem ad normam Gallici ac Britannici fœderis reſtringi volebant, & ut in univerſum abſtineretur ab utriuſque Indiæ navigationibus, utque Ordines authoritatem ſuam obligarẽt, ſe graviter animadverſuros in omnem qui quid adverſus ea commiſiſſet, tanquam in violatorem pacis, & hoſtem publicæ quietis ac tranquillitatis. Erant & alia ſuper eodẽ articulo mutuæ negotiationis, quæ non eſt operæ ſigillatim recenſere. Quemadmodum nec ea quæ de confiſcatis bonis utrinque reſtituendis, de bonis Eccleſiaſticis, de limitibus aſſignandis, & cæteris ſimilibus ſubjiciebantur, quum nihil contineant arcani, quod non in ipſo tractatu colloquioque patefactum ſit.

Illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Illud præcipue videbatur depoſitũ fidei ac taciturnitati Legatorũ, acproinde niſi in re pręſenti minime divulgandum, quod injungebatur ipſis ut poſtquã de reliquis conventum eſset, pedetentim & involvoli more ſermonẽ injicerent per ſpeciem familiaris colloquij, tanquam ultro ipſis veniret in mentem, nec aliunde ſuggereretur, an Ordines ita confiderent copijs atque opibus ſuis, ut ſe adverſus omnem externam vim ſatis tutos, & munitos fore arbitrarentur, quamdiu ſejuncti ab alijs Bèlgarum partibus eſsent, ac veluti avulſum a reliquo corpore membrum poſſiderent: & an non ex utriuſque partis uſu atque commodo videretur tam arctam fœderis neceſſitudinem ambobus populis intercedere, ut ſublatis omnibus diffidentiæ ſcrupulis eoſdem habituri ſint amicos atque inimicos. Veriſimile eſt eos haud abnegaturos quin id plurimum in communem rem futurum ſit, ſed quomodo fieri queat opus eſse magnæ molis, & longinquę deliberationis. Si ſua ſponte non delabantur in eam ſententiam, ut rationibus ſuis conducere putent habere ſibi Principem ingenti beneficio devinctum, qui non mediocri valeat potentia, & in proximo ſedem habeat: Legatis præcipiebatur ut blando quodam atque amabili introitu furtim irreperent in cauſam, & antè teſtarentur quam ab omni ambitione tali ſint alienæ mentes Archiducum, quibus propoſitum eſt, tanquam articulos fidei, pacta conventa religioſe obſervare, nec ullum unquam jus in Provincias unitas ſibi vindicare, quandoquidem ſemel jacta eſſet alea: ſed tamen ſi præſidio, & fideli amicitia potentis alicuius Principis nitendum foret ad conſervandam imperij majeſtatem, cui potius eum honorem eſſe deferendum, quam Archiducibus, ut comiter pro defenſoribus & patronis agnoſcantur? Nihil inde libertati civium detrahetur, nihil reſp. capiet detrimẽti, nihil de potentia & authoritate illuſtriſſimorum Ordinum delibabitur: quinimo multum accedet eorum gloriæ, quod nepoti, filio, fratri Cæſarum, quod Auguſtæ Infanti, filiæ

maximi Regum faſces ultro ſubmittere non ſint gravati, non tanquam dominis, ſed tanquam perſonis in excelſo dignitatis atque honoris faſtigio collocatis. Iubebantur Legati ad hanc rem efficacius promovendam, communicare conſilium cum Oratore Comitis Palatini, & aliorum Germaniæ Procerum, ſi forte gratia vel ſuada impelli poſſent ut huic incœpto ſuffragari vellent. Sed in primis caverent ne Legati Regum Galliæ & Magnæ-Britanniæ quidquam ſequius ſuſpicarentur, aut inde exſiſterent ob æmulatũ offenſiones. Quod ſi Ordines nullis rationum machinis expugnari ſe paterentur, ut quenquam patronum adoptaſſe vellent, ne quaſi capite minuti viderentur, aut indigere curatoris, ut qui res ſuas adminiſtrare non poſſent: ſaltem hoc ſumma vi erit pervincendum, ut fides detur & accipiatur, nulla in poſterum damna diſpendiaque invicem illatum iri, nec hoſtem alterius populi iuvandum auxilio, commeatu, pecunia, viris, armis, ulloque proviſu & apparatu bellico, gravibuſque pœnis expiandum, ſi quid ſecus eſſet admiſſum, quemadmodum animadverti ſolet in ruptores publicæ pacis. Reliqua pertexere nihil attinet, quia ſunt ſatis vulgata. Cæterum una cum prædicto inſtrumento reperta eſt formula orationis, quam erant propoſituri Ordinibus poſtquam pater Ney ex Hiſpanijs eſſet reverſus: nimirum nullo modo quidquam eſſe remittendum circa cauſam religionis, & Indicarum navigationum. Ex quo facile erat conjicere eos jam ante ſatis voluntatem Regis perſpectam & exploratam habuiſſe, niſi & illud de induſtria meditatoque conſilio factum eſt, ut vulgo crederetur Regi non eſſe decretum pati tantam labem inferri ſuæ Majeſtati, nec adeo infractas vires, ut ejuſmodi conditionibus infra fortunæ ſuæ magnitudinem poſitis obſecundare cogeretur. Quoquo modo factum ſit ut hæ chartæ venirent in manus Ordinum, non optimo nec prudentiſſimo conſilio publicatæ fuere. Neque enim eſt ex dignitate imperij, ut ad plebeias mentes notitia

rerum

rerum arcanarum devolvatur, & cuique liceat judicium ſuum interponere ſententiamq; ferre de maximis Principibus, quorum actiones ſi quid habeant obnoxium invidiæ aut repræhenſioni, populo tamen, peſſimo bene ſentiendi authori lis ea committi non debet, cui ſupra juriſdictionem, & extra territorium jus dicenti impune non paretur. Laudatur merito civile factum Athenienſium, qui quum literas a Philippo Rege Macedonum ſcriptas ad uxorem Olympiadem intercepiſſent eas uti erant obſignatæ bona fide ipſi reddendas curaverunt, nec tacti vitio humanæ curioſitatis inſpicere ſuſtinuerunt quid ijs contineretur. Si hoc exemplum potuiſſet uſurpari, non erat indignum æmulatione, ſed fuiſſet ſpecimen fiduciæ & civilitatis ſaltem ipſum autographum remittere ad Præſidem. Nam ſi per oblivionem & negligentiam id accidiſſet, beneficij haud exigui debitor futurus erat, ſin ex compacto, pulcherrimum eſt artis eludendæ genus, ſi fraus intelligi non videatur. Quod ſi accuſantur tanquam humanitatis expertes, & vitæ communis ignari, qui literas ab amicis ad ſe miſſas obortis poſtea ſimultatibus in medium proferunt, & palam recitant, non videntur immunes a ſimili nota qui libellos adverſariorum ſeu forte repertos, ſeu conſilio relictos ludibrio plebis exponunt. Non pro cætera manſuetudine & clementia feciſſe, ſed ab ingenio ſuo & a civili more degeneraſſe cenſetur Auguſtus, quod M. Antonij quanquam hoſtis iam iudicati teſtamentũ Romæ relictum aperiendum recitandumq; pro concione curavit. Quanto moderatius & prudentius ſe geſſerunt Pompeius, Iul. Cæſar, M. Antoninus alijq, magnanimi Principes, qui literas hoſtiũ in caſtris deprehenſas, aliove caſu interceptas ne legere quidẽ ſuſtinuerunt, ſed ne cui periculum aut invidiam crearent, igne aboleri voluerunt? Hęc fuit veterum ſimplicitas, cuius exempla plurima in antiquis Annalium monumentis, pauciſſima in noſtrorum temporum moribus atque inſtitutis reperiuntur.

DE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

De Inducijs

BELLI BELGICI

LIBER TERTIUS.

ABſceſſu Legatorum qui ab Archiducibus miſſi fuerant, depoſitæ ſalutis videbatur tota ratio deducēdi rem ad otium & tranquillitatem, jamque multorum animi, prout quemque metus aut cupido incitabat, vel augurabantur votis, vel præſaga mali mente reformidabant exoriturum infandum bellum, quod non poſſet niſi funeſto & exitiabili fine terminari, quandoquidem tanta mole tantoque conatu ſuſceptum pacis negotium adeo inutiliter eveniſſet. Sed iacta erant eiuſmodi fundamēta priuſquam Hagha diſcederetur, ut quo tempore ſalus omnis abſumpta videbatur, bonæ ſpei ſidus affulgeret ijs qui pacis amore flagrabant. Nam militares ſpiritus, qui turbis & cædibus, tanquam naturali pabulo delectantur, otio conſeneſcebant, nec retineri poterant pactis induciarum quominus hoſtilia molirentur. Initia motuum ab Hiſpanis militibus exſtiterunt, qui haud procul urbe Sluſa præſidium agitabant. Hi arrepto tempore in pecudes & armenta impreſſionem fecerunt, ſed a Sluſanis militibus oppreſſi, ac circumſepti brevem lætitiam longo dolore compenſaverunt. Pleriſque præda ſimul & vita ſpoliati ſunt, pauci incolumes reverſi eo unde infauſtum pedem extulerunt. Circa idem tempus Comes Adolphus Naſſovius alæ equeſtris Præfectus cum IX equitū turmis in fines agri Luxemburgēſis profectus eſt, ut præſentia ſua fir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

maret eos qui exigendis contributionibus præerant, quas incolæ ſpe propinquæ pacis elati ſolvere gravabantur. Non potuit inhiberi militum inſolentia, quin multa parum decore præterque fas & morem diſciplinæ perpetrarēt. Quum ab expeditione reverterentur, nocte præventi ſubſtiterunt in pagis non longe ab urbe Rhenoberga, ſecuri periculorum, nec hoſtile quidquam metuentes ob fiduciam virium. Nihil eſt magis cavendum duci provido & circumſpecto quam nimia ſecuritas, quæ pleſumque cauſa fuit calamitatis, præſertim in bello ubi non licet bis peccare, nec indignior ulla vox excidere poteſt moderatori exercitus, quam ſi per imprudentiam committat ut dicendum ſit, non putaram. Omnia ſolerti conſilio providenda ſunt quæcunque evenire poſſunt, & quidem adverſos caſus animo præcipere oportet potius quam ſperare proſperos, ut ſi quid præter ſpem evenerit, id lucri rationibus imputetur. Ergo præfectus urbis Rhenobergēſis haud imprudenter ſpeculatus neminem facilius opprimi quam qui nihil timet, emiſit e præſidio circiter 600 ſcloppetarios, qui recta fecerunt impetum ubi Comes Adolphus tanti mali ignarus divertebat, quem ita ex improviſo nec opinantē aggreſſi ſunt, ut vix ad arma ſumenda tempus ſuppeteret. Compoſuit ſe tamen ad fortiter reſiſtendum. tandem obrutus numero, confectuſque novem vulneribus nobilē animam exſpiravit. Dum Hiſpani prædando occupantur, nuntio per caſtra diffuſo claſſicum increpuit, raptimque ſumptis armis curritur ad ſuppetias ferendum duci. Iam ſe recipiebant alacres præda victoriaque in urbem, quum in planitie circumfuſi ab equitatu Naſſoviorum primo ſtrenue pugnam capeſſunt, poſt ubi ſe reſiſtendo impares vident ad deditionis neceſſitatem compelluntur, ſed intellecta Comitis Adolphi morte qui præcepiſſe ferebatur nemini eſſe parcēdum, promiſcua cæde in captivos ſævitum eſt, ita ut pauci ſuperſtites retulerint ad ſuos nuntium acceptæ calamitatis. Tres ordinum ductores ſanguine
ſuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſuo ſolverunt inferias manibus defuncti. cuius corpus in urbem Noviomagum relatum eſt, atque ibi magnifico funere cohoneſtatum, ut & nobilitatem generis, & eximiam iuvenis fortiſſimi virtutem decebat. Hæc pendentibus inducijs geſta ſunt, quibus etſi violari mutuas conventiones palam erat, tamē non eſt in eam rem curioſe inquiſitum, ſed gloria rei proſpere geſtæ penes fortunatos, dedecus & damna penes miſeros fuere. Nam victoriæ ratio reddi non ſolet. Nunc ad exorſa revertamur. Poſtquam digreſſi eſſent, ut ſupra diximus, Legati Archiducum, plerique opinabantur nihil ſpei reliquum ſupereſſe ut ab armis diſcederetur, ſed omnia potius ad inexplicabile bellum ſpectare videbantur, quum legati Regum & Procerum, qui Haghæ remanſerant, magis ac magis in eam curam incumbere cœperunt, ut quando perpetuæ pacis ad præſens obtinendæ ratio plane ſublata eſſet, ſaltē longi temporis induciæ maturarentur. Iam antea Præſes Ianninus ex communis conſilij ſententia in Ordinum concilio verba fecerat, vehementerque conqueſtus erat, non potuiſſe rem ad otium, tranquillitatem & concordiam deduci, quod in primis ſtudio habebant Reges ac Proceres, quorum Majeſtatem ac perſonam tuebantur. Id adeo ſibi cæteriſque conſortibus muneris tanto dolori eſſe, ut nihil fieri poſsit ultra. Nec dubitandum quin pari moleſtia domini ipſorum afficiantur, qui fauſtiorem inſtituti colloquij exitum ſpe & animo præſagiebant. Princeps eorum votum erat, ut ſempiterna pace finiretur hoc funeſtum & lugubre bellum, quo per tot annos Belgica gens afflicta mœrebat, ſin mentes nondum eſſent compotes amplectendi tantam fœlicitatem, ut ſaltem in longum tempus induciæ ſancirentur. Nunc, inquit, adeſt ille dies, quo eas proponi conſultum eſse judicamus. Tam enim utile vobis, imo neceſsarium arbitramur ab armis feriari, quam noxia & exitiabilis erit continuatio bellorum. Ideoque prorſus authores ſumus ne bonum iſtud ſecundæ ſortis, quum primo

VI Kal. Septembr.

frui non liceat, adſpernari velitis, dum id tamen commodo veſtro fiat. Neque enim alia lege Principes noſtri tale conſilium vobis darent. Conditiones quæ in rem & ſecuritatem veſtram fore nobis videntur, hæ ſunt. Vt vobiſcum pactio induciarum contrahatur, tanquam cum libero ſuique juris & arbitrij ſtatu, non alterius cujuſquam dominio ditionique ſubiecto, in quem Rex Hiſpaniarum & Archiduces nullum ſibi ius eſſe declarent. Deinde ut pendentibus inducijs libera vobis ſint commercia tum ad utriuſq; Indię populos, tum ad Hiſpanos & Belgas, denique per omnia maris ac terrarum ſpatia, quæ Regis & Archiducum imperio ſubjiciuntur. Tum ne qua vis, aut injuria fiat quominus, uti poſſidetis, ita porro poſſideatis. Quibus conditionibus addi poterunt quæ ex æquo & bono poſtulari debere videbuntur. Præſagit nobis animus difficulter impulſum iri mentes Principum quibuſcum vobis res eſt, ut haſce leges aſſenſu ſuo firmari velint, quandoquidem ut pax tali modo fieret nulla ratione perſuaderi potuerunt. Sed ſi eas repudiarint, tunc & veſter ad arma regreſſus firmioribus juſtitiæ munimentis fundabitur, & Principum noſtrorum ſtudia atque officia, quibus extinguere hoc diuturnum belli incendium conati ſunt, clarius eniteſcent. Ita fiet etiam ut tanto impenſius ad cauſam veſtram opibus auxilijſque ſublevandam animentur: quemadmodum ex diverſo juſtam offenſionis anſam ſubminiſtraretis, ſi vobis obfirmatum eſſet a rigore non demoveri, nec utilibus ac ſapientibus conſilijs obtemperare. Nam, ut noſtrum eſt judicium, haud minus ex uſu veſtro futuræ ſunt induciæ ſecundum eas leges quas propoſuimus, quam ſi de pace conventum foret, præſertim quum cautionis & ſecuritatis gratia noſtrorum Principum authoritas intercedat, qui nobis in mandatis dederunt ut eo nomine fidem ipſorum obligaremus, rata ſcilicet & ſtabilia fore quæ pactis induciarum promitterentur, quemadmodum ſeſe obligari voluerunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

runt, ſi negotiatio pacis optato ſucceſſu terminata eſſet. Per occaſionem induciarum erit vobis integrum rebus rationibuſque veſtris proſpicere, contractum alienum æs diſſolvere, rempub. recte moderari bonis legibus atque inſtitutis, ſi concordiam & unionem illibatam ſervaveritis, atque omnem diſſenſionum materiem præcideritis, non eſt dubium quin ex inducijs pax fida, pax immortalis exoriatur. Quod ſi bellum rurſus inſtauretur, tanta vos circumſtat moles difficultatum atque incommodorum, tanto proviſu, tot adiumentis opus eſt, tam imparati eſtis ab opibus ac ſubſidijs ad eam rem neceſſarijs, ut merito finitimi Reges & Principes miniſtrandis ſumptibus atque impenſis remiſſiores futuri ſint, ſi per vos ſteterit quominus tales incommoditates evitentur. Satis acceptum & exploratum habemus non placere vobis adverſariorum artes, & procedendi modum: ſed eiuſmodi offenſio non debet officere luminibus recti judicij, nec impedimento eſſe quin ſecluſis affectibus id conſilij ultro capiatis, quod maxime in rem veſtram exque uſu publico futurum ſit. Non bene deliberat, nec verum videt animus perturbationi obnoxius: præcipue autem ira, quæ non diſtat a furore niſi temporis exiguitate, peſſimum eſt recta ſuadendi inſtrumentum. Quocirca ſequimini conſilia quæ vobis ab amiciſsimis Principibus dantur, quorum erga vos ſtudium ac benevolentiam illuſtribus documentis experti eſtis, qui conſilio etiam periculum ſuum adjiciunt. Nam ſi ad arma rurſus itum erit, qui vos auxilijs opibuſque juverint, magno in periculo verſabuntur ne belli tempeſtas in eos deſæviat. Hæc incommoda circumſpecti Principes, qui actiones ſuas ad rectæ rationis normam exigunt ac moderantur, omni ſtudio ac diligentia vitare conſueverunt, nec bella ſuſcipiunt niſi quum longe major emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenditur, imo niſi vel urgens neceſsitas cogat,

vel evidens utilitas ſuadeat, ne aureo reti piſcari videantur. Porro non debet hoc bellum obtentu neceſsitatis defendi, quum beneficio induciarum declinari poſsit: nec utilitatis ratione capeſsendum eſt, quum utrinque nihil præter impenſas, damna, miſerias exſpectandum eſse videatur. Eſt nobis in animo idem conſilium proponere delegatis Archiducum, qui ſi id ſequi recuſarint, aperte ſimpliciterq; denuntiabimus, Principes noſtros omnia veſtra cauſa facturos, quæcunque officij munus, & veræ amicitiæ fides præſcribit. Ad hunc modum loquutus eſse fertur Preſes Ianniuus dum alhuc delegati Archiducum eſsent in Hollandia. Nihil eſt tam abſtruſum in arcanis imperij, quo non penetret acumen & interpretatio male feriatorum hominum, qui ſine populi ſuffragio ſibi permittunt de ſumma rep. cenſuram exercere. Quin & ſæpe in contrariam partem verba detorquentur. Nam quod paulo antè dicebatur Regem & Archiduces haud facile impelli poſſe, ut propoſitis induciarum conditionibus ſuffragari vellent, id nonnulli Rhetoricum ſchema eſſe dictitabant, diſſimulandæ cupiditatis cauſa artificioſe inductum haud ſine ſpecie colluſionis, quia videbatur inferius dignitate Archiducum ut Priores ad petendum venirent: ſimul etiam plus authoritatis conſilium habiturum eſſe judicabant, ſi non ab adverſis partibus proponeretur. Non longe abhorrebant ab eiuſmodi ſuſpicione mentes quorundam primariæ dignitatis, adeo ut etiam voces jacerentur, quibus haud obſcure maximus vir perſtringebatur, quaſi fines mandati excederet, & aliud de voluntate Regis Galliarum compertum eſſet, nimirũ judicio eius inducias nullo modo approbari. Quin & ad ipſum Regẽ perlatus eſt iſtiuſmodi ſermonum & ſuſpicionum nuntius, quo ille non leviter fuit offenſus, & injuriam ſuæ perſonæ factam eſſe putavit, quia per Legati latus Maieſtas ipſius Principis ſauciabatur. Itaque literas ad Ordines miſit, quibus multo cum honore ſignificavit quanti fidem, prudentiam, virtutem

tutem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

tutem ac ſapientiam Præſidis æſtimaret, ut cauſa non fuerit cur in animo cuiuſquam aliquid incõmodæ opinionis hærere deberet. Graviſsimum iſtud magni Henrici judicium, multum addidit dignationis viro alioquin omñi laude cumulatiſsimo, de cuius admirandis dotibus nihil tam ſplendidè dici poteſt ut ad meritorum ſublimitatem aſſurgat. Abſentibus Archiducũ Legatis nihilo ſegnius induciarum cauſa ventilabatur, adnitentibus maxime Legatis Regum qui Haghæ remanſerant. Edebantur interea ſpargebanturque in vulgus libelli mordacibus facetijs & ſcommatibus adſperſi, atque in tantam dicacitatis intemperantiam eruperat luxuries ingeniorum, ut authoritate publica, & legum minis compeſcenda fuerit. Sunt enim ſemperque fuerunt male feriati homines, qui tantum ſibi placent in jocis & ſalibus, ut malint perdere veterem amicum quam recens aliquod dicterium. Sane in libera civitate liberas eſſe decet civium linguas, dum ne proferantur voces per jugulum redituræ, & ut heic, quemadmodum in cæteris vitæ partibus atque officijs, modus & lex aureę mediocritatis obſervetur. Sæpe ab ijs quos commemoravi Legatis verba facta ſunt in conventu Ordinum ſuper negotio induciarum, ſæpe per codicillos rationes propoſitæ fuerunt, quibus eos in ſuam ſententiam perducerent. Sed in primis oratio, quam in conſilio Status habuit eximiæ fidei, virtutis & eloquentiæ vir Rodolphus VVinvvood Ordinarius Magnæ-Britanniæ Regis Legatus, digna viſa eſt quæ huic peplo adtexeretur. Quanquam ex ijs, quæ in conſeſſu Generalium Ordinum ab illuſtri collega Richardo Spenſero propoſita ſunt, abunde vobis liquet, quibus rationum fundamentis Majeſtas Regia nitatur, ut inducias amplectendas eſſe cenſeat, tamen quum tanti ponderis atque momenti res ea ſit, ut hoc quaſi cardine ſalus & proſperitas, aut contrà clades & calamitas unitarum Provinciarum vertatur, quarum rerum diſceptatio cognitioque ad hoc collegium proprie pertinet, non indignum meo munere

XIII Kal. Novembr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

nere onus atque officium ſuſcepturus eſſe videor, ſi verbis ad aſſentiendum maxime idoneis & accommodatis, demonſtrare contendam quantum communiter expediat, & ex utilitate publica ſit inducias admitti ſub ijs conditionibus quæ in medium allatæ fuerunt. Quas Magnæ-Britanniæ Rex omnino judicat adeo commodas & utiles eſſe hiſce Provincijs, tum ad conſervandam dignitatem, tum ad augendum imperij decus, ut etiam ſi Ordines ſuis copijs atque viribus freti contra vim ac potentiam adverſariorum ſine externis amicorum opibus atque auxilijs ſtare poſſent, tamen ratione utilitatis inducti eas repudiare non deberent. Quid enim quæſo poſt geſta continentur bella vel annos centum, eaque fœliciſſimo eventu terminata poteſtis ſperare, vel votis vovere maius, quam ut liber populus, & nulli ſubiecta iuri dominioque reſp. cenſeamini? Vt talibus auſpicijs non ſolum cum præpotentibus Europæ Regibus ac Principibus, verumetiam cum adverſarijs pacem & amicitiam contrahatis? ut ne qua vis inferatur conſcientijs, quominus abſque metu religionem puriorem amplectamini, cuius potiſſimum rei cauſa bellum ſuſceptum eſt contra Regem Hiſpaniarũ? ut vobis liceat diſiunctiſſimas terrarum oras, & ultimas Indorum gentes commerciis frequentare, quod juris Francia, & Magnæ-Britanniæ regnum impetrare non potuerunt? ut, quod poſſidetis, pacifice ac ſine iniuria moleſtiaque poſsideatis, idque ſub fide & cautione publica duûm magnorum Regum? Sed ſi vires & copiæ nequaquam vobis ſuppetunt ut veſtro Marte Provincias veſtras tueri poſsitis contra formidoloſam vim tam longe lateque dominantis adverſarij, niſi Regum & Principum vicinorum opibus auxilijſque ſuſtentemini, qua forſitan fiducia elati juſtas & honeſtas conditiones accipere dedignamini: plane & ingenue teſtor, edico, profiteor pro dignitate perſonæ quam ſuſtinemus ex officio nobis injuncto, Regem noſtrum nimis eſſe obſervantem fidei, nimis religioſum iuſtitiæ cultorem,

cultorem, nimis amantem pacis & concordiæ, quam ut animi cauſa diſcordias & bella veſtra fovere veli, quibus legitimã occaſionem præbuit ineluctabile telum neceſſitatis, quę ceſſabit & cauſa veſtra munimento iuſtitiæ deſtituerur, ſi quietis & otij facultatem divinitus oblatam fueritis adſpernati. Scimus paſſim per ora vulgi jactari hos ſermones, & facili multorum credulitate excipi, ut ſolent Sabini quod volunt ſomniare: nimirum quidquid duo Reges dicant aut præ ſe ferant, meram eſſe ſimulationem ac diſſimulationem, aliud palam promi aliud in receſſu mentis occultari. Nihil ipſis eſſe gratius & exoptatius, quam ut Rex Hiſpaniarum aſſidue turbis & bellorum procellis inquietetur, ne ſi tranquillo ſtatu frueretur, ambitioſa gens & inimica quietis, cui libido dominandi cauſam belli ſuggerit, ad novas res moliendas animum appelleret. Nunquam itaque paſſuros ut præ inopia commeatuum atque ſubſidiorum unitæ Provinciæ ſub adverſariorum poteſtatem redigantur. Equidem fateor Regis Magnæ-Britanniæ plurimum intereſſe ut hæ Provinciæ ſalvæ ſint & incolumes, ideoque & rationibus, & exempli ſui authoritate vos hortatur ut bello finem aut modum imponatis. Quod ad ſubſidia attinet, minuta nihil aliud efficient quam ut minutis ictibus conficiamini ita ut perire vos ſentiatis, nihilque amplius poterunt quam alimenta carceris, quibus ſola mors prohibetur, & vita producitur ad miſeriam, vires ſeneſcunt, nec artus ullo modo firmantur. Sic paulatim ſingulæ carpentur urbes, Provinciæ deficient, aut vi ſubiugabuntur. Majora diu durare non poſſunt. Et hæc, & illa bello pabulum ſubminiſtrabunt, quod Regi noſtro non eſt decretum ſuſcipere in gratiam alterius, niſi ad aſſerendum Majeſtatis faſtigium, aut propugnandam ſubditorum incolumitatem. Hic ſcopus eſt, hæc mens, hæc ratio, quæ regiam eius indolem impulit ad ſuadendam aut perpetuam pacem, quod maxime optandum fuit, aut ſaltem longinquã requiem ab armis, & miſerijs bellorum civilium, ut ſeptem Provinciæ

(quanquam haud multũ Britannico Monarchæ prodeſſe aut obeſſe poſſunt quæ locis diſiunctiores ſunt) concordiæ jugo devinctæ maneant, ſintque ut vocantur unitæ, tanquam populus liber, & reſpub. quæ ſuo more, ſuis legibus, ſuo arbitratu vivat, nec ab alterius nutu mancipioq; pendeat. Quod ſi caſus infeſtus, & cõmunis Mars ita ferat (quod Deus avertat omen) ut quinque debiliores, quæ ſunt obviæ & expoſitæ bellorum tempeſtatibus, concedant in hoſtium poteſtatẽ (quarum Provinciarũ, vobis o Batavi Zelandiq, maxime ratio habẽda eſt) quid exinde futurum ſit manifeſtius apparet, quam ut male velim augurari. Vos quidẽ locorum oportunitate, & maris præſidio defenſi diutius ſuſtentabitis, nec facile aut bellica vi domiti, aut ſponte incitati devenietis in manus Regis Hiſpaniarum. Sed quis tandẽ erit armorum finis? quæ ſpes? quæ mens? quis conſiliorum ſcopus ac terminus? Non enim opinor affectatis imperium, ſed contenti eſtis dono inæſtimabili recuperatæ libertatis. Etiamſi virtus & vires vobis abunde ſupperent, unde Reges patritis & avitis ſedibus detrudere, & exterminare poſſetis, tamen id ſine ſacrilegio, & violatione divini humanique juris attentare non liceret. Neque enim vos fata deſtinarunt ut Principes in ordinem redigatis. Satis ſuperque fœlicitati veſtræ gratulari debetis, quod tamdiu contra tam potentem terrarum dominum ſtare potuiſtis. Non humanis opibus ſed divino favore, non mortali virtute ſed cœleſti auxilio præſidioque tam admiranda opera provenerunt. Nihil vobis ad cumulum beatiſsimi ſtatus omni ex parte ſupplendum tam eſt utile ac neceſſarium, quam ut modeſtiæ memineritis, & indulgentem fortunam reverenter habeatis, ut rebus proſperis temperanter utamini, ne fœlicitas in ſocordiam vertat. Tum autem & illud ante oculos proponendum eſt, non iam vobis rem eſſe cum Archiducibus aut Hiſpanis, ſed cum Regibus Galliarum Magnæque Britanniæ, cum Germaniæ Proceribus, qui fœderibus & amicitia ſunt vobiſ-

vobiſcum devincti. Hi profecto tali virtute, conſilio ac ſapientia abundant ut decipi non poſſint, tam benevolo affectu commodis veſtris ſtudent,ut verba dari vobis nolint, præſertim quum eorum cõmuniter interſit vos incolumem ſtatum ac dignitatem retinere. Sufficit, & ſatisfacit ipſis Archiducum confeſſio, qua vos ſupremæ poteſtatis honore ac titulo inſigniunt, paratique ſunt ſpondere interpoſita fide ſua ratas fore induciarum conventiones: quod quidem minime facturi eſſent, ſi declarationem illam iudicarent non eſſe ſatis idoneam cautionem & ſecuritatem veſtræ dignitatis. Neque enim beneficio Philippi acceptam ferre vultis libertatem, aut eam poſſidere pro donato, vel iure precarij, ſed nuda puraque agnitione contenti eſſe debetis, quæ quo ſimplicius concepta fuerit, eo magis reſipiet indolem veritatis, & certius erit pignus ad ſtabiliendam rei ſinceriter geſtæ fidem. Sed (inquiunt nonnulli qui ſuo iudicio videntur valde ſapere, & longe in poſterum præſentire) quid vobis denique fiet poſt annos X aut XII ubi prælapſum fuerit tempus induciarum? Imo iuſtius regeri poſſet, quid vobis fiet intra trimeſtre ſpatium ſi rurſus ad arma ſit decurrendum, nec vobis ſuppetant auxilia Principum exterorum, qui pertinacia veſtra iure offenſi non facile bellum haud neceſſarium fovebunt, quod honeſtis conditionibus averti poterat, aut ſaltem per multos annos intermitti? Si talis eſt Provinciarum ſtatus, & is animorum habitus, quem nobis libelli per manus hominum volitantes depingunt, hic erit rerum exitus, ut pauci ſint in medium conſulturi, plures diſcordijs invicem collidentur, plerique tentabunt vias ſui reconciliandi in gratiam cum hoſte, vel per incuriam omnia ſurſum deorſum ibunt, ut ipſa, ſi velit, ſalus rebus perditis opitulari non poſſit. Sin autem illuſtriſsimi Ordines revera ſunt, quales conſentiente fama feruntur, hoc eſt viri graves, cordati,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

prudentes, qui conſilio, delectu, judicio, non impetu, nec inconſpecta temeritate rempub. adminiſtrant, cogitare debent, & inducere in animum, Reges, quibus authoribus induciæ pactæ fuerint, nullo tempore ipſis defuturos. Quapropter amplectimini quæſo, ſi fœlices eſſe cupitis, occaſionem emergendi ex hiſce bellorum calamitatibus, ut ad quietis & otij portum appellere poſsitis. Sequimini conſilium magnorum Regum ac Procerum, & ſic habetote, ſi ſequeſtra pax damnoſa erit fundata ſponſionibus ac fide talium heroum, arma deſtituta præſidijs atque opibus eorum funeſta erunt, & exitiales exitus habebunt. Quod hactenus tam præclare rem geſſiſtis, quod tot inſignes victorias eſtis adepti, cœlo imputandum eſt, quia militabat a veſtris partibus juſtitia, rerum humanarum ac divinarum regina, quæ Iovis ſupremi ſolio adſidere perhibetur. Hæc fiducia erigit animos, hæc vires ſecundas ſubminiſtrat. Cauſa melior pulcherrimum augurium eſt ad bene de victoria ſperandum. Sed niſi moderando fœlicitati veſtræ propitietis ultricem inſolentiæ ac ſuperbiæ Nemeſin, quanto celſius ſublati eſtis, tanto gravius corruetis. Deus impia bella fauore ſuo non ſecundat. Finem faciam dicendi ſi prius vocem unam effatus fuero, quæ vobis inſtar oraculi penitus infixa menti eſſe debet. Nullum iuſtum bellum eſt quod non eſt neceſſarium, nec pia arma niſi quibus nulla ſpes tuendæ incolumitatis quam in armorum præſidio relinquitur. Huiuſcemodi verba fecit Legatus Magnæ-Britanniæ Regis in Ordinum conſeſſu qui conſilium Status appellatur, cui ſolet intereſſe, & ibidem jus dicendæ ſententiæ habet ordinarius Britannorum Legatus. Eadem aut his ſimilia propoſita fuerunt in conventu Generalium Ordinum, teſtatique ſunt ambo Legati Regem, qui benevolo erga Provincias unitas ſtudio, favore & affectu nemini Principum concederet, in eadem mente ſententiaque perſeverare. Nimirum amplectendam eſſe volentibus animis conditionem Induciarum, nec adſpernandum

dum interuſurium medij temporis, quandoquidem perpetuæ pacis ſpes tot difficultatibus & impedimẽtis circumſepta eſſet, ut ad eam non pateret acceſſus, niſi aliquod ſalutare ſydus e cœlo in terras tranſmiſſum miſeris mortalibus adfulſiſſet. Quod ſi nondum ſatis pertæſum eſſet bellorum, nec adhuc otij portum capeſſere ferret animus, qui quaſi virgula divina, & ultro invitantibus fatis oblatus eſſe videtur, non eſt quod vana perſuaſione mentes credulæ ſibi blãdiantur, aut palpum obtrudant, quaſi nunquam ipſis defutura ſint auxilia, quibus ſeſe adverſus hoſticam vim tutari queant. Neque enim, inquiebant, noſtro Regi ac domino, qui ante oculos habet rectam conſcientiam & venerandum iuſtitiæ numen, decretum eſt fovere diutius ea bella, quibus iam obtendi non poteſt inexſuperabile patrocinium neceſsitatis. Nam ut Pontius loquitur apud populares ſuos Samnites, *Iuſtum eſt bellum quibus neceſſarium: & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes.* Magna nos fiducia tenet fore ut, dum de tam arduo gravique negotio deliberatur, conſulturi ſitis in medium, & ſepoſituri rationes privatorum commodorum, quæ iudicium veritatis obnubilant, & publicis utilitatibus ſemper plurimum offecere. Concordi voto ſtudioque in communem cauſam incumbendum eſt, ne animi in diverſas partes diſtrahãtur, quo malo nihil peius ac pernicioſius infenſiſſimi hoſtes vobis imprecari poſſunt. Si poſthabitis affectibus, & excluſa omni diffidẽtia ad hanc ſupremam legem publicæ ſalutis laudabili ambitu conſilia veſtra direxeritis, ſenatus veſter optimo iure ſibi vindicabit eam laudẽ, quam olim in urbe terrarum domina veteres Romani plerumq; obtinebant, qua tempeſtate res eorum moribus viriſque florebant, *Vicit ſententia non quæ prior ſed quæ melior*. Nec moveri vos decet inanibus rumuſculis, qui pravo more diſperguntur in plebem, quaſi dicis cauſa perfunctorieq; vobis ſuadeantur induciæ, quum Regi ea res neutiquam ſit cordi, ſed ut imperitis fucus fiat, & ut ſcenæ ac populo ſer-

 viatur,

viatur. Qui talia diſſeminant, atrocem iniuriam & contumeliam infligunt optimo Principum, cuius inter heroicas virtutes palmam obtinet generoſa mentis integritas, pectuſque neſcium fraudis ac diſsimulationum. Viderint illi perverſe callidi verſutique, qui caput civilis prudentiæ ac ſapientiæ in eo ponunt, ut aliud ore promptum, aliud corde clauſum gerant. Eiuſmodi morum labes atque contagio nunquam infecit ſynceram indolem magnanimi Iacobi, qui nullis unquam Attalicis conditionibus adducetur ut regiam veritatis viam deſerat, aut aliud conſilij det, quam quod ex animi ſententia iudicat utile futurum ijs, quorum cõmodis vehementer conſultum eſſe cupit. Scopus cogitationum eius, gloria quam quærit hæc eſt, ut placide vobis detur uti frui inæſtimabili munere ac beneficio libertatis, quam tot periculis, tanto ſudore, tantiſque laboribus eſtis conſequuti. Quod ſi aliquis ſcrupulus hæret in animo cuiuſquam, utrum ſerio an ſimulatè negotium induciarum promovere ſtudemus & utrum id nobis abſque dolo in mandatis datum ſit: credite rebus & experimentis, non orationi aut affirmationi noſtræ. Quid verbis opus eſt? Facite periculum, & progrediamini in rem præſentem. Simulatque propoſitas conditiones authoritate veſtra comprobaveritis, moram nullam interponemus, quin protinus eas fore ratas, firmas, ſtabiles, fide Regia ſtipulemur pro poteſtate nobis in eum finem conceſſa, quemadmodum facturi ſpopondimus ſi de pace conveniri potuiſſet. Poſtremo non ignoramus veritatis hanc perpetuam eſſe legem atque naturam, ut odium pariat apud alia omnia ſentientes. Sed fidem obſequio antiquiorem ducimus, & juvandi ſtudium præferimus gratiæ placendi. Deus vobis eam mentem largiatur, ut vel ultro conſulatis quod in rem eſſe videatur, aut ut meliora ſuadentibus auſcultare ne dedignemini. Quanquam eiuſcemodi orationes magnum pondus habebant ad permovendas mentes, tamen ex animis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

mis multorum deleri non poterant ſiniſtræ ſuſpiciones, quas magis magiſque incendebant Martia corda bellicoſorum ducum, quibus pax ſenio erat, & omnis in bello ſeges gloriæ atque emolumenti. Hi ſpecie boni publici privatas utilitates obvelabant, nec deerant honeſta rerum vocabula, nec probabiles & veriſimiles ſententiæ, quibus cauſæ ſuæ authoritatem adſtruerent. Summa ſummarum huc redibat, nihil ex animo, nihil ex interiore cordis receſſu proficiſci, cuncta fieri ſimulate, fraudulenter, temporis cauſa, ut ſimplicibus & incautis mentibus palpum obtrudatur. Cui enim ſani pectoris unquam perſuadebitur Regem qua late patet orbis potentiſſimum, ſerio & bona fide poſſe obliviſci injuriarum, poſſe reconciliari in gratiã, poſſe adduci ut ignoſcat, ut ſe precibus exorari patiatur, nedum ut velit paciſci cum ſuis olim ſubditis tanquam cum ſocijs & fœderatis, ut libertatis titulo ſuperbi incedant quibus pro ſummo munere ac beneficio eſſe deberet impunitas, & abolitio criminum præteritorum? Hoc nulla ratione credendum eſſe. Non enim naturas hominum refingi poſse, nec mores repente commutari. Vulpes nunquam vulpem exuit, ſemper ad ingenium redit. Suum quiſque animum interroget, ſuam conſcientiam excutiat. Cuinam privatæ ſortis & conditionis homini tam placidum, tam placabile ac tractabile pectus eſt, ut atroci contumelia læſus honorem habeat ei a quo eſt violatus? At Regum longe impacatior eſt animus, qui plumbeas atque immortales iras gerunt. Falluntur ergo qui verbis, aut chartis credunt. Nunquam fando auditum eſt, nuſquam in Annalibus memoriæ proditum tam graves offenſas, tam atroces iniurias venia poſſe ſanari. Vnam igitur viris fortibus ſalutem eſse nullam ſperare ſalutem, & abſque miſſione præliari. Hæc & id genus alia ſpecioſe dicuntur, ſed periculoſe creduntur. Nam etſi ſapientum voces teſtantur, & ratio docet, & experientia comprobat, tutiſſimum ſecuritatis præſidium

eſſe nulli fidere, nedum Regi offenſo, nedum hoſti reconciliato: tamen bella pręſertim pro defenſione capitis ac fortunarum ſuſcepta non alium finem propoſitum habere debent, quam ut in otio vivatur, ut armis alma pax quæratur, alioqui peſſime cum rebus humanis ageretur, ſi, tanquam in arena gladiatorum, continenter eſſet pugnandum, & omne ævum ferro terendum. Piratarum & latronum hæc infeſta vita eſt, quorum impijs cervicibus ſemper imminet domeſticus ille tortor, qui peius omni ſupplicio mentes profligatorum hominum excruciat, ut nunquam liberum a curis ſpiritum ducere queant. Quum igitur conditiones in medium adferantur haudquaquam inhoneſtæ, nec indecoræ, per Legatos maximorum Principum, qui ſimul ſunt & conſilij authores, & fidei ſponſores, & periculorum participes, quis color, quæ figura, quod integumentum obtendi poteſt, ut belli reſumendi cauſa ſpeciem aliquam æquitatis habere videatur? Eſt illud quidem apprime utile in vita, non facile cuiquam fidere, ſed nec temere omnibus eſt diffidendum, nec ad quaſlibet rumorum aut ſuſpicionum auras expaveſcendum. Alioqui nunquam derunt luſcinijs cantilenæ, & in æternum ſuppetent fomites irarum ac diſſenſionum. Sed ex omni Provinciarum numero, quæ ſub Ordinum ditione regebantur, Zelandi præcipue ſummaque vi contendebant ne fierent induciæ: ſtudijſque & certaminibus eo acerbitatis ventum erat ut metum ſeceſsionis palàm intentarent, ſi quid ipſis repugnantibus atq; invitis ſuper ea re conventum eſſet. Quæ factionum & diſcordiarum tabes ne rempub. in extremum diſcrimen adduceret, Legati Regum ſalutaribus monitis ingruenti malo fortiter obſiſtendum eſſe ſtatuerunt. Ex parte Regis Galliarum ad hunc mo-
XII *Kal. Decembr.* CIↃ IↃ C VIII. dum verba facta ſunt in illuſtriſsimo Ordinum cōſeſſu. Quum certiores facti ſumus, quod minime obſcurum eſſe poteſt, tanta contentione tantoque animorum ardore conditiones induciarū a Zelandis repudiari, ut haud occultis ſermonibus

præ ſe ferant ſibi potius eſſe decretum, rationes ſuas non ſolum a communi cæterarum Provinciarum cauſa, quibus induciæ placent, ſegregare, verum etiam ab authoritate Regum ac Procerum, qui eas ſuaſerunt, deficere: venimus huc oraturi & hortaturi ipſos, quãtum eſt ſitum in nobis, ut ſe reliquorum conſentientibus votis atque ſuffragijs morigeros præbeant, neu diſſenſione ac pertinacia, qua maximæ res plerumque dilabuntur, bona conſilia corrumpi ſinant. Illud etiam atque etiam cogitent ac ſecum meditentur, quo nihil unquam verius & certius oracula protulerunt, concordiæ & unioni Provinciarum accepto eſſe referendam ingentem rerum proſperarum affluentiam, qua ſupra votorum invidiam florent, dum omnes unum idemque ſenſerunt, & ſe publicæ utilitati pluriumque ſuffragijs haud gravate regendos permiſerunt. Nam ut ſpecimen boni civis, & generoſæ libertatis eſt ſententiam haud obnoxiam gratiæ aut ambitioni proferre in medium, eamque ſolidis rationibus atque exemplis firmare, ut cum efficacia perſuadendi penetrare poſſit in animos ſapientium auditorum: ita mentis obſtinatæ vitium potius, quam conſtantis animi genium arguit ſi quis tam præfractè & contumaciter propoſitum urgeat, ut aliorum recte conſultis obtemperare non dignetur. Optimo jure laudatur illud effatum M. Antonini, cui ab amore ſapientiæ Philoſophi cognomentum additum fuit, qui æquius eſſe prædicabat ſe unum concedere in plurium ſententiam, quam ut tot præſtantes viri ſequerentur unius arbitrium ac voluntatem. Nam ut ſupremæ fœlicitatis eſt non cogi, quod proxime ad Majeſtatis divinæ naturam & ſimilitudinem accedit, ita tyrannicæ dominationis, imo miſerrimę ſervitutis eſt nolle ſuaderi. Nihil enim infœlicius eſt Principe apud quem vera reticentur. Id ſi in principatu cenſetur more pravum, exemplo pernicioſum, ubi diſſentientium opiniones unius judicio expendi & in concordiam deduci poſſunt: quanto magis vitandus eſt hic bonæ mentis ſco-

tis ſcopulus in ſtatu populari? Neceſſitas, quæ legibus ſoluta eſt, & regulas iuris non agnoſcit, harum alterutram optionem proponit, ut aut diſcordijs & factionibus inter ſe collidantur qui publico conſilio præſunt, aut ut minor numerus majoris partis conſenſum & authoritatem ſequatur. Ni id fiat, nullam videmus viam dirimendæ contentionis, quæ nunc fatali quadam calamitate videtur impendêre cervicibus harum Provinciarum. Nam ut litem iſtam decidendam permittatis judicio & arbitrio Regum aut Principum externorum, vix hoc rerum puncto ſperari poteſt. Nimis enim exulceratæ mentes ſunt, & circumventæ præjudicatis opinionibus. Qui refugiunt inducias, ceu ſiniſtri ominis augures aves, non inducent animum ut in judices conſentiant eos, a quibus eas palàm ſuaderi dudum intellexerunt. Tales enim ſuſpectos habent, tanquam averſos a ſuis rationibus atque conſultis: etiamſi nulla re magis moventur quàm utilitate communi. Sed videlicet ita eſt, animus gratiæ vel offenſæ obnoxius haud facile verum examinat ubi ſemel incommodę ſuſpiciones aciem mentis perſtrinxerunt. Arquatis omnia lutei coloris apparent quæcunque oculis obverſantur propter læſam videndi facultatem: ſimiliter ijs qui raptantur ab impotenti affectu, non adeſt recti judicium ſed perinde res ſingulas æſtimant, ut ſuadet opinio quam penitus animis imbiberunt. Supereſt aliud remedium, nempe ut ad eos cōfugiatur, qui cum imperio Provincijs aut urbibus præſunt, quod in principio & auſpicio recens fundatæ libertatis aliàs uſurpatum eſſe memoratur: ſed quoniam hi rebus ipſis & dictis abunde iam teſtati ſunt ſibi inducias diſplicere, tanquam exitium allaturas patriæ dignitati, communibuſque commodis, eadem ratione recuſabuntur huiuſcemodi iudices ab ijs Provincijs quæ probant inducias, qua Zelandi declinant forum aliorum qui in contraria ſunt ſententia. Nihil igitur reſtat amplius ad ſpem communis concordiæ, quam per æqua per iniqua omnia quovis pretio redimere debetis, niſi ut Zelandorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

landorum mentes amica vi ſeſe vinci & expugnari patiantur a conſenſu cęterorum, quibus ſuffragatur duorum Regum huic reipub. amiciſſimorum teſtata diſertis mandatis authoritas. Sed objicitur ſacroſancta lex, qua munitur libertatis majeſtas, & exæquantur jura ſociorum: cuius ea mens, ratio & voluntas eſt ut nihil publica authoritate decerni poſſit prǽſertim ſuper tantę molis negotio, niſi conſpirantibus in unam eamdemque ſententiam ſuffragiis omnium Provinciarum. Non eſt noſtræ modeſtiæ, qui verſamur in aliena repub. nimis curioſa ſedulitate veſtrarum legum cauſas atque origines indagare, nedum earũ vim ac robur elidere aut enervare. Sed nihil tamen commiſſuri videmur alienum a dignitate noſtri ordinis atque muneris, ſi ſcopum & finem legis prudenter expendere velimus, quæ ſemper dirigenda eſt ad principem illam & ſupremam legem publicę ſalutis atque utilitatis. Si qua talis conſtitutio a vobis ſancita eſt, eo ſpectat ne ſeorſim quæque Provincia conſilium inire poſſit de reconciliatione in gratiam cum veteribus dominis, neu pactio aliqua fiat unde libertatis jura minuantur: non autem ut impedimento eſſe debeat eiuſcemodi lex, quominus æquo fœdere in pacem atque amicitiam venire liceat. Alioqui quod firmandæ libertatis & æqualitatis conſilio repertum eſt, id in omnem recti ordinis everſionem, & in ſuperbam paucorum dominationem converteretur. Quo nihil abſurdius & alienius a propoſito legiſlatorum dici aut excogitari poteſt. Diſtinguenda ſunt tempora ut poſſint conciliari ſcripturæ. Paulo momento magnæ fiunt in repub. commutationes, & permultum intereſt, idem illud utrum ante an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur. Natura mortalium proclivis ad lapſum optimis legibus condẽdis occaſionem dedit. Ex pravis moribus & delictis aliorum apud bonos exempla honeſta gignuntur. Si ſua ſponte librari & ſtare poſſet imperij corpus abſque legum præſidio, non eſſet ijs opus: quemadmodum nemo medicum adhiberet ſi omnes

 firmiſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

firmiſſima valetudine, & ſaluberrimis corporibus uterentur. Quis enim eſſet locus pœnis aut emendationi ſi nemo peccaret? Leges tanquam remedia ſunt ad medendum vitijs & incommodis, quibus humana fragilitas conflictatur. Quum olim graviſſimis de cauſis in frequentiſſimo conventu Ordinum

XXVI *Iulij* CIↃ IↃ C LXXXI jacta ſunt fundamenta liberi ſtatus, non aliunde pendentis quam a ſupremo rerum omnium moderatore Deo, quumque ſolenni Senatus-conſulto decretum fuit Regem Hiſpaniarum excidiſſe iure ac dominio harum Provinciarum, & juſto duello perſequendum, Belgaſque ſacramento fidelitatis non teneri: tunc providēter & utili conſilio ſancitum eſt, ne ſine communi ſuffragio, & unanimi aſſenſu cunctarum Provinciarum fas eſſet cum adverſis partibus ullam inire pactionem qua quidem deterior eſſet conditio libertatis. Nam quin melior fieri poſſit, id etſi verbis legis peculiariter exceptum non eſt, tamen natura ipſa dictat eiuſcemodi exceptionē legis ſententia ſuppleri oportere, ne quæ ſalubriter pro communi bono introducta ſunt, ea nos duriori interpretatione contra mentē & voluntatem conſtituentium producamus ad ſeveritatem. Semper in recte ordinato ſtatu dominari debet illa ſuprema ratio, quæ ſuum cuique tribuit ſine alterius injuria, quæ rempubl. ſalvam eſſe vult, quæ univerſorum utilitati civium conſulit, quæ totū imperij corpus curat, ne dum partem aliquam tuetur, reliquæ diſſidijs & cōtentionibus invicē divellantur. Non eſt dubium quin Zelandi idcirco firmiores ſint in ſententia, quod eam eſſe optimam & honeſtiſſimam cenſeant: ſed nec ſecus de cæteris Provincijs opinari debent, quarum communis eſt cauſa, commune ſeu periculum ſeu commodum. Si capiti male ſit, non poteſt fieri quin etiam reliqua membra dolore afficiantur. Ponendæ ſunt igitur omnes inter collegas diſſenſiones & æmulationes, ne publicum bonum privatis ſtudijs ac certaminibus impediatur. Nam ſi & apud Romanos, & apud Græcos, & apud Barbaros, maxima laude dignantur qui reipubl. cauſa

rever-

reverſi ſunt in gratiam cum inimicis, quique authoritatem Senatus & patriæ utilitatem ſuis doloribus atque offenſionibus antetulerunt: quanto magis vos decet, qui arctiſſimo fœdere, qui laborum & præmiorum ſocietate, qui fraterna neceſſitudine, & (quod his omnibus longe potentius eſt) qui religionis ſacramento invicem conjuncti eſtis, communi ope conſilioq; publicam utilitatem tueri, promovere, ac modis omnibus amplexari? Ariſtides, qui a juſtitiæ cultu Iuſti cognomen adſequutus eſt, civili odio diſſidebat a Themiſtocle: quum tamẽ eamdem legationẽ ſimul obeundam haberent, & ad portam urbis veniſſent, viſ-ne, inquit, o Themiſtocles ut inimicitias pauliſper heic deponamus reſumpturi eas poſtquã redierimus? Nullas oportet exiſtere inimicitias aut ſimultates inter tam fideles ſocios, qui tot invicem pignoribus devincti ſunt, ſed tamen ex opinionum diverſitate fit interdum ut conjunctiſſimæ mẽtes aliquo frigore feriantur, & ſuſpicionibus pluſculum indulgẽant. Sit vobis ante oculos illud immortali gloria dignum exemplum Conſtantini Magni, cui quum patres, qui ad celebratiſsimam Synodum Nicænam convenerant, obtuliſſent libellos jurgiorum & querelarum plenos, eaque res moram allatura videretur ijs negotijs expediendis, quorum ergo convocati fuerant, Cæſar ipſis diem præfinivit , quo ſe de cauſa cujuſque cogniturum, & ſententiam laturum promiſit. Condicto tempore poſteaquam reſediſſet tanquam jura dicturus, omnia litigiorum inſtrumenta in ſinu continens, nec inſpicere dignatus quid in ijs ſcriptũ eſſet, gravi oratione ac plena dignitatis eorũ prava certamina corripuit, & cum dicto in ignẽ injecit ne qua ſupereſſet memoria fraternarum ſimultatum ac diſcordiarum. Ardebãt ſalubri incendio fomẽta litium & ſeditionum. Non opus eſt igni, non authoritate Imperatoris ad ſanandũ ſi quid in animis hæret odioſæ ſuſpicionis aut diffidentiæ. Ipſa reſpub. & civium ſalus redigere vos debet in concordiam , ac ſi quæ lex obſtat huic laudabili propoſito , eam vitio latam eſſe

 judi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

judicandum eſt contra bonos mores adverſiſque auſpicijs, nec populum tali ſanctione teneri. Libertas enim non in pertinacia, ſed in moderatione conſiſtit. Cæſares ipſi reſcindunt, & nullius eſſe momenti ſtatuunt ſua reſcripta, quæ publicæ utilitati adverſantur. Ob utilitatem, quæ prope mater iuſti & æqui cenſetur, multa mutari expedit, quæ poſtulantibus reip. temporibus recte & ordine conſtituta fuerunt. Mutatæ jam ſunt vices rerum, hæc dies aliam vitam, alios mores poſtulat. Vos ij eſtis penes quos legum rogandarum & abrogandarum poteſtas eſt. Veſtro nutu & arbitratu mentes publici conſilii flectuntur ac gubernantur. Quod ſi legem prorſus aboleri minime placet, haud abſurde id vobis conſilium proponemus, quod olim Pericli fertur dediſſe Legatus Lacedæmoniorum Polyarces. Nam quum Pericles negaret fas eſſe loco moveri tabulas ſemel fixas, quibus eſſent inciſa plebis Athenienſium ſcita, tu vero, inquit, eas inverte quod nulla ſanctione prohibetur. Philopœmen a Plutarcho ſcriptore ſapientiſſimo laudibus extollitur, quod quum natus eſſet ad imperandum, non tantum ex præſcripto legum actiones ſuas moderabatur, ſed ubi vel urgens neceſſitas cogebat, vel evidens aliqua ſuadebat utilitas, ipſis legibus leniter imperare condidicerat, quæ quum non poſſunt quod volunt, velle debent id quod poſſunt. Nunquam præſtantes in rep. adminiſtranda viri probaverunt obſtinatum animi rigorem, & perpetuam in una ſententia permanſionem. Semper ita cenſuerunt homines uſu & ſcientia inſtructi, ad novos temporum caſus novorum conſiliorum rationes eſſe accommodandas. Ac ut artis eſt obſecundare tempeſtati quum adverſantibus ventis gubernator rectum curſum tenere nequit: ſic providos & cordatos rerumpubl. moderatores, quibus beata civium vita propoſita eſt, temporibus aſſentiri oportet, nec præfractè niti adverſus eos qui in eadem navi periclitantur, quorum æque intereſt providere ne quid reſp. capiat detrimenti. Parendum eſt

ſupremo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſupremo juri, quod non Lycurgus aut Solon, ſed ipſa natura ſanxit, communis ſenſus approbat, omnium gentium mores & instituta confirmant, ut quæ reipubl. ſalutaria ſunt, iuſta & legitima cenſeantur. Optimis auſpicijs fiunt quæ pro communi bono geruntur. Non ſunt obſervandæ leges quas uſus coarguit, & quæ commutatis temporibus inutiles, imo noxiæ ac pernicioſæ depræhenduntur. Ex eo genere eſt hæc lex quæ peſtiferis factionibus viam aperit, niſi provida moderatione coërceatur. Nullæ ſunt efficaciores ad nocendum inſidiæ, quam quæ ſub ſpecie popularitatis occultantur. Libertas & æqualitas iuris tali ſanctioni conſtabiliri videtur, ſed mera confuſio, perturbatioq; boni moris atque ordinis conſequetur niſi vos ipſi modũ imponitis immoderatæ poteſtati. Non quantum vobis liceat conſiderare vos decet, ſed quid rectum & honeſtum ſit, quid officij ratio poſtulet, quid communis utilitas, quid amicitiæ fides, quid univerſorum ſalus civium, cuius expediendæ nulla ſpes, nulla ratio ſupereſt niſi in Ordinum concordia. Si nos muniti authoritate maximorum Regum non videmur idonei ad componendas diſſenſiones veſtras, illud memineritis voſmet eſſe & actores, quorum de commodo periculoque diſceptatur, & eoſdem ſedere in propria cauſa judices. Nullum igitur aliud præſentius remedium humanitus excogitari poteſt quam ut lis ſecundum plures detur, ut in judicijs fieri conſuevit. Vetus Græcia, quæ quondam opibus, imperio, gloriaque floruit, non alio malo concidit, quam effrœni atque immodica libertate, quæ periculoſiſſimum eſt depoſitum apud eos qui non callent artem utendi. Deus omen avertat, ſed ſi in propoſito pertenditur, & mutuis diſſenſionibus prætexitur authoritas legis, non poſſumus ex tali certamine niſi funeſtos & exitiales exitus augurari. Nemo enim neſcius eſt omnes Provincias ſimul junctas, & inter ſe concordibus animis unitas haudquaquam eſſe pares ad ſuſtentandã belli molem contra tam late dominantem adverſarium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſarium, niſi iuventur auxilijs atque opibus Regum, qui hacte-nus cauſam veſtrā foverunt. Quin & illud manifeſte nobis liquet, ſtatum veſtrum veluti lenta quadam tabe confectum ac debilitatum iri, ſi non ampliora vobis ſubſidia ſuppeditentur. Id enim toties eſtis conqueſti, toties palàm feciſtis, non ſingularis aliqua Provincia, non duæ, ſed omnes pariter quotquot ſunt quæ dulciſsimo nomine unionis gloriātur, idque non privatim ſed publico conſilio, rebus rationibuſque veſtris probe ſubductis atque examinatis, ut hodie ſatis admirari non poſsimus quæ ſpes, quæ fiducia vos avocet a quietioribus conſilijs, & ad belli cupiditatem impellat, quum nec hoſtes viribus attriti ſint, nec opes veſtræ ad eam magnitudinem ac potentiam adſcenderint, ut ancipitem Martis aleam certis induciarum conditionibus anteferre debeatis. Sed forſitan ſomnia vobis ipſi fingitis, & imagine iucundæ opinionis mentem oblectatis, quaſi tantopere interſit Regum vos ſalvum & incolumem dignitatis ac libertatis ſtatum conſervare, ut nunquam paſſuri ſint, quidquid in ſpeciem præ ſe ferant, vos in hoſtium redigi poteſtatē. Quocirca ſi non ex animo, ſaltem proprij commodi cauſa confiditis vos nunquam ab ijs deſertos fore. Nolite quæſo tam falſa fallacique ſpe inexpiabilem culpam admittere. Nam ne quis erret, aut ſibi prædictum eſſe neget, teſtamur, edicimus, profitemur, & univerſis ac ſingulis notum eſſe cupimus, idque Regis noſtri nomine, qui diſertis verbis hoc horribile carmen voce noſtra vobis obnuntiandum imperavit, ſi per tergiverſationem veſtram ſteterit quominus induciæ perficiantur, quas optime ſcit eſſe rationibus veſtris non tantum utiles, verum etiam neceſſarias: nulla vobis in poſterum auxilia ſperanda ſunt ad belli continuationē, quod quum ab initio legitimū effecerit haud obnoxia legibus neceſsitas, ex eventu prorſus iniuſtum evadet ob repudiatas conditiones & honeſtas ſimul & ſalutares. Ita vobis conſultum cupit ut amicus, ſed uſque ad aras, hactenus eum movet fœderis &

ſocieta-

ſocietatis fides, ut potiorem habeat rationem ſuæ Majeſtatis, cui non convenit nec libet quidquam conſulere quod ſit ab honeſtate juſtitiaque ſemotum, & unde labes aliqua probri aut reprehenſionis in auguſtam & incontaminatam eius gloriam redundare queat. Alia mens illi eſſet, ſi penes adverſarios culpa reſideret quominus de inducijs conveniretur, & ſi promiſſis manere detrectarent contra quam per adminiſtros ſuos ſignificandũ curarunt. Vobis enim tunc Rex noſter non deerit, dum eius hortationi & conſilio morem geratis, ſi pro neceſſaria veſtri defenſione, quam omnes omniaque iura confirmant, rurſus ad arma revertendum fuerit. Igitur componite animos ad obtemperandum mollibus imperijs optimi Regum, ut eliciatis eius erga vos benevolentiam & liberalitatem: atque ut Provinciales, quibus amor otii, & quies ab armis penitus inſederat, ſpe ſua dejecti non ob veſtram ſed ob adverſariorum culpam, paratiores ſint ad bellum reſumendum & ad ſumptus eo nomine contribuendos. Quod alia lege vix adduci poſſent ut faciendum exiſtimarent ob incommoda plurima, quæ quum minime ſint ignota, nec admodum relatu jucunda eſſe videantur, meditationi veſtræ conſideranda relinquimus. Ac ut libere loquamur quod res eſt, nec adulando vos decipi ſinamus, viri graves & ſapientes, qui ex indicio famæ de rerum veſtrarum ſtatu certiores fiunt, valde mirantur Regem Hiſpaniarum tot late populis ac regionibus dominantem, eo faſces maieſtatis demittere ut conditionibus haud ſatis faſtigio ſuo dignis aſſentiri non recuſet. Sed ijdem propemodum attoniti & ſtupore defixi hærent, quum audiunt magnis altercationibus & iurgijs inter vos agitari utrum admittendæ ſint an repudiandæ, quippe qui omnino perſuaſum habent eas, tanquam oblatam divinitus fœlicitatem, cum immortali gratiarum actione ambabus, ut aiunt, ulnis eſſe amplectendas. Nos item qui in re præſenti verſamur, & qui de ſingulis actibus liquido cognoſcimus, in primis vero Rex no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſter, cuius ſcientiam nihil veſtrarum rerum præterit, quique novit omnia quæ conſcripta ſunt contra inducias, comminiſci & imaginari nequit probabilem ullam cauſam tantæ contradictionis & repugnãtiæ, nec ullo modo probat rationes hactenus in medium allatas, quibus & vivæ vocis eloquio, & obſignatis literarum monumentis abunde reſpondiſſe, & ſatisfeciſſe videmur. Proponuntur alia quædam vitia & incommoda quorum remedia ſunt in veſtris manibus. Nimirum ut ratio ineatur de vectigalibus, tributis & indictionibus, qui ſunt reipub. nervi, unde ornamenta pacis & ſubſidia belli exſtruuntur. Vt diſpiciatur de ordinando reip. ſtatu, de forma publici regiminis, ſi quid eget emendationis aut temperamenti, ut ſtabilius & diuturnius ſit veſtrum imperium. Quas ad res recte & providenter conſtituendas omnem operam noſtram, curam & induſtriam vobis ex ſincero cordis affectu deferimus & conſecramus. Sed quia non leve periculum eſt in mora, rogamus vos & obteſtamur, ut primo quoque tempore ſuper ea re ſerio cogitationem ſuſcipiatis, quemadmodum prudentiam veſtram decet, & ſingularem vigilantiam erga publicam ſalutem, & civicam libertatem. Accipite igitur faventibus animis conſilium quod vobis datur a Rege ſcientiſſimo veſtri ſtatus, Rege ſolertiſſimæ mentis & acerrimi iudicij, Rege vobis amiciſſimo, cuius gratiam, benevolentiam & magnificentiam multis ingentibus documentis experti eſtis. Veſtri boni reſpectu pacem ſuadet, pacem inculcat, quum aliàs virtute bellica, & rebus armata manu geſtis nulli veterũ heroum ſecundus ſit, & ad eam gloriam naturæ genio totus feratur. Nulla vobis ſalus eſt in bello, quietem & otium amplecti oportet, ut reſpub. veſtra reſpirare poſſit, & recreari ex tot ærumnis ac miſerijs, quas Martis horror invexit. Ante omnia Zelandos ardentibus votis adiuramus, hortamur atque obſecramus, ut ſepoſitis ſuſpicionum & diffidentiarum irritamentis conſulant in medium, ſeque vinci patiantur glorioſiſſimo victoriæ genere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

genere, nimirum authoritate ſummorum Regum ac Procerum, viribus invictæ rationis ac veritatis, nutatione temporũ, ſalute patriæ, conſenſu reliquarum Provinciarum. In hanc ſententiam Legatos Regis Chriſtianiſſimi diſſeruiſſe accepimus. Eodem die Legati Regis Magnæ Britannię partes quoque ſuas interpoſuerunt & ad hunc ferme modum verba feciſſe feruntur. Quum ſalus & proſperitas regnorum, principatuum ac rerumpubl. ſecundum divinam providentiam, cujus auſpicio ac numine cuncta gubernantur, pendeat a virtute & ſapientia eorum qui ſedent ad clavum imperij: ratio & æquitas omnes bonos adhortatur ut legitimam eorum potentiam & authoritatem quibuſcunque rebus poſſunt defendant ac tueantur. Hoc enim fundamento recte poſito atque ordinato florent regna, florent principatus, florẽt reſpub. quemadmodum ubi mens ſana viget in ſano corpore, vigent quoque & effulgent admirandæ eius functiones. Sed ut graviſſimi & plerumque depoſitæ ſalutis ſunt morbi qui a capite diffunduntur, ubi ſedem fixit ratio, ſpirãs imago divinæ mentis: ita maximo periculo ægrotant, & ad exitij metam fatali quodam impulſu vergere videntur regna, principatus, reſpub. quum inter ſe confligunt mutuis certaminibus ac diſſidijs ſupremi rerum moderatores, quorum curę, tutelæ ac providentiæ commiſſa eſt civium ſalus, dignitas, libertas, ut ſtatus publicus copijs abundãs, opibus potens, gloria excelſus, virtute honeſtus ſit. Nullum capitalius eſt in civitate malũ, nulla peſtilentior tabes, quam inteſtina diſcordia, præſertim inter eos qui gubernaculum imperij tenent, & publico conſilio præſunt, a quibus tanquam ab oraculo reſponſa expetuntur. Plures populos ea peſtis peſſum dedit quam externa vis, aut hoſtis armatus. Inſontes Achivi plectuntur quidquid Atridę delirant. Quocirca nullum ſalubrius conſilium hoc tempore vobis adferre poſſumus quàm ut reip. cauſa deponatis ex animis omnes odioſas ſuſpiciones, totiſque ſenſibus in pacis &

 concor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

concordiæ ſtudium incumbatis. Hoc ſi fiat, publico fiet bono, remque veſtram probe conſtabilietis. Illud quidem cuivis honeſto civi concedi par eſt, nedum ijs quibus officij publici dignitas ius dicendæ ſententiæ tribuit, ut incorrupta fide ac libertate proferat animi ſui ſenſum, ut ea conſulat citra ſtudium gratiæ aut ſimultatis, quæ ex uſu communi eſſe videantur, dum talis præſcriptio moderatioque ſervetur, ne ſub obtentu ſpecioſo boni publici ſuum quiſque commodum & privatam utilitatem conſectetur, id quod eſt peſſimum veri affectus venenum. Præterea tantum in repub. contendere & eniti decet, quantum probare poſſis maximæ parti civium, nec ita contumaciter urgere propoſitum, ut authoritati plurium nullo modo ſuffragari velis. Quum enim contradicendi ardore publicæ mentis duces in contrarias partes diſtrahuntur, reſpubl. quę in medio eſt, conſimili periculo conflictatur, quo virginem illam functam eſſe narrat Plutarchus, quæ inter violentos rivalium complexus animam miſerabiliter exſpiravit. Hortamur itaque vos ut huic malo mederi velitis, nec mutuis altercationibus atque diſcordijs patiamini hebeſcere aciem veſtræ authoritatis, dum conſultando dies eximitur, & rerum bene gerendarum oportunitates conſumuntur. Romanus quidem ſedendo vincit, ſed dum otioſe deliberant conſcripti patres, & curiam verbis implent, capitur Sagũthus, memorãdum quidem, ac non minus miſerabile exemplum fidei conſtanter ad extremum ſervatæ. Fuit olim Tribunitia poteſtas armata ſacroſanctis legibus, & optimo iure fundata, telum libertati repertum ad tuendam plebem contra iniurias potentiorum, ſed ut nihil eſt in rebus mortalium ab omni parte beatum, hoc vitio laborabat is magiſtratus, ut quo ſæpius rogationes ad populum ferrentur, eo ægrius inter ipſos conveniret. Cuius incommodi labes inde naſcebatur, quod unius interceſſione conſenſus reliquorum impediebatur. Simili malo nunc exercetur veſter ſtatus, quandoquidem una Provincia, grande quidem momentum rebus, ſed ta-

men unica Provincia diſſenſu ſuo cæterarum omnium conſpirantes in unum ſententias ac voluntates retardat. Id a principio veſtræ unionis haud imprudenter, nec abſq; mente conſtitutum eſt. Nam, ut olim Latini Romanis obiectabāt, *ubi pars virium ibi & imperij pars eſt*. Recte tunc igitur, & utiliter ſancitum eſt fœdus tam arctum atque individuū ut omnes Provinciæ ſimul iunctæ quaſi unica Provincia cenſerentur. Hoc enim pacto providebatur ne ſeorſim a communi conſenſu ſingulæ privatam gratiam captarent aut adoptando ſibi patronos, aut ineunda reconciliatione cum Rege Philippo, ſub cuius nomine ac titulo tunc temporis omnia publicæ authoritatis acta celebrabantur. Nullus ea tempeſtate votis auſus eſſet ſperare, nedum coniectura præſagire tantam fœlicitatem, ut Rex implacabiliter offenſus ab ijs qui contra ipſum arma ſumpſerant, & exinde in externorum Principum verba iuraverant, cum ijſdē unquam rediret in gratiam, & æquo fœdere in pacem atq; amicitiam venire non dubitaret. Quocirca non debet legis aut conſtitutionis iſtius vis & poteſtas extendi ad eos caſus, qui nullis humanis conſilijs provideri potuere. Benignius & cum moderamine æquitatis interpretanda eſt ut voluntas eius ſervetur. Regula iuris, & naturalis æquitas dictat non eſſe retorquenda in odium ac læſionem, quæ favore & commodo rerum aut perſonarū introducta ſunt. Ipſum unionis nomen hortari vos debet ad omnia ſeditionū ad diſcordiarū ſemina radicitus exſtirpanda. Quod ſi fato vel humanæ imbecillitatis vitio ita cōparatū eſt, ne caveri poſſint æmulationes & mutuæ concertationes inter eos qui ſocietatis iure, & authoritate ſunt æquales, ut alter in alterū ſine iniuria nō poſſit uſurpare aliquid imperij, publica utilitas & impendentis, mali metus exigit ut ratio ſit ſequeſtra pacis atq; unionis. Quā legem ſi Zelandi recipere non gravabūtur, certa ſpes affulget facilē inter cives concordiam fore, qui diſcrepantia & varietate opinionū invicē diſſidere poſsūt, quamvis voluntate, ſtudio

Verba Titi Livij.

IV *Kal. Februar.* CIↃ IↃ C LXXIX *Hoc fœdus vulgo vocatur Unio Traiectenſis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

& affectu contendant ad eundem finem, nimirum ad metam publicæ ſalutis, quæ ſumma votorum, & ſuprema lex bono civi eſſe debet, ſicuti gubernatori curſus ſecundus, medico ſanitas, Imperatori victoria, ſapientibus in repub. viris otium cum dignitate propoſitum eſſe conſuevit. Satis ſuperque confutatę ſunt obiectiones, quibus induciarum pactio in odium atque invidiam vocatur. Pleræque ſunt eiuſmodi, ut color tantum ad excludendam omnem honeſtæ compoſitionis ſpem quæſitus eſſe videatur. Sed etiamſi fundamento aliquo rationis aut æquitatis niterentur, tamen longe ſatius eſſet nonnihil de ſummo iure remittere, quam in cõtentionis incœpto perſeverare. Neque enim eſt inconſtantis, ſed moderati potius & prudentis viri, ſententiam tanquam navigium ex reip. tempeſtate gubernare, flectere ac moderari. Denique omnia prius æqua & iniqua forti ſtomacho concoquenda ſunt civibus arctiſſimo fœdere & laborum ac periculorum ſocietate inter ſe junctis, quam ut ad malorum omnium extremum deveniatur, nimirum ad interminandam ſeceſſionem ac defectionem ab communi cauſa. Tanti flagitij cogitatio nunquam cadere debuit in mentem cuiuſquam, qui ſe civem libertatis compotẽ, & reip. partem eſſe meminiſſet. Iuncti & uniti pares non eſtis ad reſiſtendum hoſti potentiſſimo, qui ab ortu ſolis uſque ad occaſum imperij ſui limites extendit. Quid quæſo fiet ſi a reliquo corpore tam nobile, tam neceſſarium membrum crudeli ſciſſura divellatur? Sed ſaniorem mentem vobis aura Numinis inſpirabit, quam ut in almæ nutricis, & patriæ viſcera ſævire velitis. Quod ad inducias attinet, Rex noſter in priſtina voluntate perſiſtit, nobiſque in mandatis dedit, ut, quod antea ſæpe fecimus, eas iterum vobis inculcaremus, ne miremini aut queri poſſitis, ſi poſt repudiatum eius conſilium, non amplius vos opibus atque auxilio iuverit ad fovendum injuſtum bellum, cuius evitandi pulcherrimã occaſionem volvenda dies vobis ſubminiſtrat. Sin autem, ut vovemus & auguramur,

mur, voluntati eius obtemperare animū induxeritis, beneficia beneficijs cumulabit, nec committet ut ulla in re commodis atque utilitatibus veſtris defuiſſe arguatur. Poſtremo recte & ordine facturi eſtis ſi in alterutram partem aliquid decretorio iudicio ſtatueritis, nimirum ut inducias, ſub ijs conditionibus quas propoſuimus, aut admittatis aut rejiciatis. Neque enim ulla ſpes eſt quidquam in ijs, quod quidem ad rei ſummam pertineat, mutari vel adjici poſſe, nec ambigimus quin ex parte sereniſſimorum Archiducum omnia quæ per eorum Legatos promiſſa ſunt, cumulate compleantur, licet artificio quorundam qui otio conſeneſcunt, & turbas amant, contrarij rumores ſine capite per hominum ora diffundantur. Hujuſcemodi orationibus quas & graviſsimæ rationes, & regum optime de cauſa meritorum firmabat authoritas, non mediocriter movebantur mētes publici conſilij, neque tamen Zelandis perſuaderi poterat quin fraudes & inſidias timerent. His ſuſpicionibus alimentum ac vires addebat opulentiſsimum non Bataviæ ſolùm, ſed haud falſo dixerim totius Europæ emporium Amſterodamum. Civitas amans patriæ libertatis, & obſervantiſsima religionis, optimis fundata legibus atque inſtitutis, magnæque in repub. dignationis & authoritatis, tum propter opinionē multiplicis prudentiæ & experientiæ, quod ad eos ex omnibus mundi partibus nuntij rerum deferuntur, tum ob ignotum argenti & auri pondus, quod in commune contribuunt. Hi retinentes veteris & generoſæ ſimplicitatis Batavicæ ſuſpectabāt artes Iberas, & quidquid ab Heſpero novi ſolis adfulgeret id ita interpretabantur quaſi ad occaſum fortunæ ſuæ ſpectare videretur. Quo plura dicebantur ad eximendos diffidentiæ ſcrupulos, eo magis indulgebāt ſuſpicionibus, & augebant ſuos metus non ſine aliqua ſpecie probabilitatis. Cui enim niſi prorſus excordi & omnium rerum ignaro credibile aut veriſimile viſum iri non de compacto, non conſutis dolis, ſed ſerio, ſed ex animo rem geri, non ſubeſſe fraudem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

fraudem & diſsimulationem, non latêre anguem in herba? Quoties iam antea tentatas eſſe vias pacificationis non alio fine aut fructu quam ad ineſcandos homines? ad impellendos labantes animos? adſpargenda diſcordiarum ſemina in vulgus? ad palpum obtrudendum credulis mentibus imperitorum civium? Incendebantur hæc nuntijs & rumuſculis, qui paſsim in ore famæ volitabant. Literæ enim varijs e locis adferebantur, quibus omnia ficte & ſimulate geri, nihil candide ac ſincere, cavendamque eſſe fidem Punicam ſignificabatur. Increbeſcebant vulgo, & pronis auribus accipiebantur voces, non ſolum in Belgio, ſed per Gallias, per Britannias, omnia denique finitima loca perſtrepebant famigerationibus & rumuſculis, Regem Hiſpaniarum nullo modo velle inducias, nec ſtaturum pactis conventis. Quę res quia plurimum officiebat publicis conſilijs, & Legatorum fidei ac dignitati non parum derogabat, miſſus eſt ad Archiduces cum literis & mãdatis Carolus Alba-ſpinæus, dominus de Preau, intimæ familiaritatis apud Præſidem Ianninum, vir claro genere natus, eximia indole præditus, & cuiuſvis ardui muneris capax. Is ad Archiduces miſſus eſt, ut quid animi haberent, & quæ mens eſſet Regis, liquido cognoſceretur. Id eo magis faciendum eſſe Legati cenſuerant, quod Præſes Richardotus iuſſu

XVII. *Kal. Novemb.* Archiducum ea de re perſcripſerat quantum ſedatis & moderatis ingenijs ſufficere debebat ad tollendam omnem dubitationem. Archidux graviter tulit ſe in eam invidiam & ſuſpicionem vocari, quaſi fumos venderet, aut verba daret, & plura polliceretur quam re ipſa poſſet præſtare. Quocirca vel ad famam Præſidis a turpi calumnia vindicandam, vel ad Archiducum decus & gloriam pertinere viſum eſt, ut in conſeſſu Ordinum rei geſtæ veritas enarraretur. Neque enim levis iniuria fit viro probatæ fidei, virtutis & exiſtimationis, ſi vanitatis & mendacij inſimuletur, nec tam irreverenter de ſummis Principibus loquendum aut ſentiendum eſt, ut impoſturæ labes

labes ipſis inuratur. Significatum igitur eſt, nihil fuiſſe a Præſide ſcriptum in hanc ſententiam, niſi iuſſu & mandatu ipſius Archiducis. Quod ſi ex eo tempore mora facta eſſet quominus de hoc negotio Ordinibus conſtaret, culpam hærere penes ipſos qui nullo reſponſo dignati eſſent indicare quid ſuper ea re fieri placeret, quemadmodum etiamnum ceſſant in officio. Nec vero credibile aut veriſimile eſt tantæ celſitudinis Principem, Cæſarum ſanguinem, gente Germanum, cuius candor & integritas conſenſu famę celebratur, ſponte mendacium confinxiſſe, cuius non eſſet aliud pretium, quam facti dedecus atque opprobrium. Nam per ſe ſatis intelligebat, & inſuper certior factus erat, ſi ad colloquium rediretur, primam quæſtionem hanc futuram, an idonea poteſta te & authoritate munitus eſset, alioqui laborem & conatum omnem irritum fore. Nihil igitur reſtat amplius quam ut ſuprema manus huic operi imponatur, aut ut ex præſcripto medicorum, ab inſanabili morbo prorſus omnis medicina ſecludatur. Non conſulto, ſed mature facto opus eſt. Moræ, & lentæ deliberationes moleſtiam amicis creant, authoribus damno ſunt, nec cuiquam niſi adverſariis proſunt. Tum etiam illud conſiderare decet, appetere iam & in propinquo eſſe finem induciarum, quas expedit in menſem unum non amplius prorogari, ſi quidem Ordinibus decretum eſſet ex præſcripta formula de inducijs agere, non alia lege. Nam id eſſet niti contra torrentem, & fruſtra poſtularentur luculentiores conditiones. Omnino ſtatuendum eſt aliquid in alterutram partem, ne ſemper animi vacillantes huc & illuc impellantur, veluti navis quæ ventis ac fluctibus ludibrium debet. Hoc agendum, ſi rurſus conveniendi copia fiat, ut in annos XV aut ad minimũ XII induciæ extendantur, & ut cum Indis libera ſit commercandi facultas potius bona cum gratia, quam vi & armata manu ius iſtud evincatur, ne quid publicam ſecuritatẽ morari queat. Sed ſi neutrum impetrari poſſit, tamẽ erit pergendum in concludendo tractatu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

qui diutius ſine gravi damno & incommodo differri non poteſt. Hæc in Ordinum concilio propoſita quanquam ad veritatis ſimilitudinem propenſa eſſe videbantur, tamen non decedebat opinio quin ſub induciarum velo fraus occultaretur. Ergo ad eximendum ſcrupulum legati regum, quorum fides & fama ſiniſtris iſtis ſuſpicionibus lædebatur, reſpondendum ad ſingulas rationes exiſtimarunt quæ a diſſentientibus obiectabantur. Id officij munus a Præſide Iannino ſuſceptum eſt circa finem vertentis anni. Nihil reliqui fecit quod ancipitem curam adferre poſſet amplius deliberandi, niſi apud eos quibus non liquet meridie lucere ſolem. Nefas eſſet tam præclarum civilis prudentiæ ſpecimen ac monumentum ſilentio præteriri. Ac primum hi quibus diſplicebant induciæ, negabant ex formula per legatos concepta cauſam libertatis tutam & ſecuram fore, quia tantum ad tempus fiduciaria quædam poſſeſſio concedi videbatur tantiſper dum induciæ durarent. Imo vero quum nullius temporis fiat mentio, quumque ea ſit natura libertatis, ut ſemel parta non adimatur, nec diem aut conditionem recipiat, tantundem efficit indefinita oratio, atque ſi nominatim adiectum eſſet in perpetuum. Vbi enim lex non diſtinguit, & in rem non in perſonam loquitur, ſic exaudiri debet quaſi generatim concepta ſit, & latiſſimam interpretationem admittit, niſi aliud actum ſit. Illud etiam animadvertendum eſt, non a munere & conceſſu principum, quibuſcum Ordines de paciſcendis inducijs agunt, pendere ius libertatis unitarum Provinciarum. Nam decreto ſolenni & publico in Ordinum concilio ſancitum eſt, gravibus cauſis in medium prolatis, Regem Hiſpaniarum iuſto pioque duello perſequendum, Belgaſque ſacramento fidelitatis & obſequij ſolutos videri. Nam antea quanquam acerrime bellum gerebatur, tamen omnia publicæ authoritatis acta nomine Regis Philippi celebrabantur, ſi forte tali delinitus officio & comitate manſuetum animum in cives, & benignam mentem in-

ducere

ducere dignaretur. Ex eo tempore arma, quæ ſumpta erant pro defenſione capitis, vitæ, fortunarum ac libertatis, iuſta & legitima iudicari cœperunt. Ideoque Ordinibus non poteſt infligi crimen rebellium ſubditorum. Quod tamē eveniret ſi ab arbitrio & liberalitate Regis Hiſpaniarum aut Archiducum petendus eſſet titulus uſurpandæ auſpicandæque libertatis. Id vero plurimum de fama & exiſtimatione Ordinum, de dignitate imperij, de cauſæ juſtitia, deque civium ſtatu & conditione derogaret. Proinde ſatius vobis eſt, illuſtriſſimi Ordines, & ad gloriam ſplendidius, & ad uſum uberius, & ad ſpem diuturnitatis efficacius, & ad vicinorum exiſtimationem præclarius atque honorificentius, ſi contenti ſitis ſimplici, nuda puraque confeſſione ac declaratione, qua Rex & Archiduces teſtentur ac profiteantur, ſe vobiſcum, tanquam cum libero civium ſtatu, tanquam cum populo utente ſuis legibus, tanquā cum republ. quæ neminem dominum agnoſcat præter Deum, paciſci paratos eſſe. Non eſt etiam poſtulandum ut vobis cedant, reſignent, tranſcribant jura majeſtatis, quæ per naturam non poſſunt communicari, nedum alienari, ut in perpetuum fiant accipientium. Neque enim uerſantur in commercio, quum ſint iuris publici, nec recipiunt æſtimationem, uti nec libertas, præcipua dos humanæ gentis. Hinc ſummo conſenſu prudentium trahitur, iſtiuſmodi iura, quæ coronæ annexa ſunt ita ut ab ea divelli ne quidem per ipſum Principem queant, nec lapſu temporum, nec ulla conventione poſſe præſcribi, aut uſucapi, quin quandoque ad priſtinum ſtatum revocari poſſint. nec ſucceſſores ex tali contractu obligantur. Quod ſi conditio & natura rerum non eſſet impedimento, quo minus apex majeſtatis mutare dominos, & in altera jura tranſire poſſet, tamen obſtat munus atque officium Principis ipſius, cui tutela & adminiſtratio regni permiſſa eſt, non largiendi vel in alium transferendi facultas, quum ſit eius augere imperium non imminuere. Quod ſi in privatis perſonis publice in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

tereſt ne quis re ſua male utatur, quanto magis id obtinere debet in Principe, qui tantum eſt cuſtos ac depoſitarius civicæ ſalutis ac libertatis, ut provideat ne quid reſpub. capiat detrimenti? Quod ſi pactum quo paciſcitur maritus, ne in id quod facere poteſt condemnetur, ſed in ſolidum, lex & ratio, & authoritates Iuriſ-conſultorum negant ſervari oportere quia ſit contra bonos mores, & contra receptam reverentiam, quæ maritis exhibenda eſt: quanto minus ſervanda erit conventio, qua majeſtatis honos imminuitur, cui veneratio ſecundum Deum iure divino humanoque debetur? Adde quod Princeps ne ultro quidem ſe abdicando amittit imperium, niſi multis ſolemnitatibus obſervatis, nedum ut invito talis neceſſitas imponi queat. Sola igitur vis eſt quæ Reges iſtiuſmodi ornamentis ſpoliare poſſit. Quocirca quiſquis tale quidquam uſurpat, ſive ſit extraneus, ſive ſubditus, providere debet ut quam in acquirēdo vim adhibuit, eandem in conſervando retineat, donec tandem vel vetuſtate longiſſimi temporis, cuius non exſtet memoria, vel oblivione, vel imbecillitate adverſarij res eo deducatur, ut pleno jure & optima lege dominus nullo refragante cenſeri mereatur. Nihil igitur aliud a Rege & Archiducibus exigere debetis, quā ut ultro tales agnoſcamini, quales eſtis, & eratis ipſorum ingratijs, nimirum libera gens, reſpub. ſui iuris ac mancipij, cives nulli niſi Deo & legibus obnoxij. Hic eſt cardo litis, hic ſtatus cauſæ, pro quo per tot annos bella terris ac mari pugnata ſunt. Hoc niſi pro conceſſo & confeſſo ponatur extra controverſiam & aleam omnem dubitationis, non fuiſſet vobis decretum neque cum adverſarijs neque cum alio quoquam paciſci. Non potuit autem diligentius caveri veſtræ libertati ac ſecuritati, quam ijs verbis quæ ſcripto noſtro, & priorum induciarum contractu expreſſa ſunt. Quum tamen ſpes iniecta eſſet impetrari poſſe formulas dilucidiores, quæ omni ambi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ambiguitate carerent : atque id nonnulli vehementer urgerent, tanquam in hoc puncto ſitæ eſſent ſpes & fortunæ Græcorum, non interceſſimus quominus fieret, ne bonis communibus obſtare velle videremur. Quin & lætati ſumus, poſtquam ex animi ſententia rem proceſſiſſe reſcivimus. Non item quum eſt indultum ut nomina dignitatis, titulorum inſcriptiones, & armorum inſignia remitterentur. Nam eiuſmodi conditio pudenda nobis, & ſine exemplo viſa eſt, non ſatis civiliter poſtulata, nimis facile conceſſa per potentiſſimos Principes, quorum nec fortuna, nec virtus, nec animus, nec opes ita proſtratæ erant, ut quidquam indignum ſublimi faſtigio largiri aut indulgere cogerentur. Nec imaginari poteramus cauſam tam promptæ & effuſę liberalitatis, ideoque merito fraudem ſubeſſe ſuſpicabamur, quæ nobis poſtea comperta fuit. Nam hoc agebatur, ut ſi adverſarij negaſſent quod petebatur, ſpecioſus color eſſet omne pacis aut induciarum negotium abrumpendi. Sed heic occurrit nodus haud ſatis explicatu facilis, ut imperitis videtur. Nam, inquiunt nonnulli, ſi verba prioribus inducijs, & ſcripto legatorum comprehenſa ſufficiebant ad ſtabiliendum ius civicæ libertatis, cur ergo delegati Archiducum nectunt moras, quærunt ambages, & mentem ac ſententiam principum ſuorum perſpicue interpretari cunctantur ac tergiverſantur? Nihil eſt quod facilius expediri poſſit. Aiunt enim ſe ultra non teneri, nec plus nomine Regis Hiſpaniarum ſpondiſſe, nihil amplius ab ipſo impetrari potuiſſe nitentibus in alia omnia conſiliariis, quibus induciæ ſub tam incivilibus & probroſis conditionibus vehementer diſplicent. Igitur non eſſe acrius inſtandum ſceptrigeris Regibus, quam quatenus fidem ſuam obſtrinxerunt, ne potius eorum offenſio quam libertatis ſecuritas quæſita eſſe videatur. Si hiſce conditionibus acquieſcere gravamini, reputate cum animis veſtris, & expendite quinam ſint illi quibus perſuadendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

habetis vos eſſe populum liberum, nullius iuri mancipioque ſubiectum. An non ſunt reges & principes, quorum intereſt vos incolumen ſtatum libertatis & dignitatem conſervare? Atqui nos, ex perſona quam tuemur, vobis teſtamur, dicimus & ſignificamus, eiuſmodi declarationem abunde dominis noſtris ſufficere, nec aliam eſſe mentem eorum qui ſepoſitis affectibus rem ad rectæ rationis & incorrupti iudicij normam exigere ſuſtinebunt. Deinde illud certe non timetis, ne Rex Hiſpaniarum & Archiduces lege vobiſcum agant, ut iudicio apud Prætorem diſceptetur quænam ſit mens & interpretatio huius Articuli. Non enim alibi quam in campo Martio talia comitia habentur, ubi cauſam obtinet qui viribus eſt editior, & elogium hoc audit qui ſuccumbit, væ victis. Adverſarij veſtri finitis inducijs, ſuo non veſtro arbitratu, ſi illis ita videatur, ſi ſpem rerum proſpere gerendarum, ſi commodam occaſionem nacti erunt, bellum vobis indicent, nec addent cauſam, quo iure quove titulo id faciant, utrum ne tanquam cum iuſtis hoſtibus, aut tanquam cum ſubditis rebellibus bellum gerant. Mala mens, malus animus nunquam indiget prætextu. Qui lites amat ſemper aliquam iuris ſpeciem malitiæ fraudique ſuæ poteſt obtendere. Nec ulla res eſt tam diligenti munita præſidio, qua vitium iſtud caveri queat. Hydræ caput amputare contendit, ſi quis omnes verſutias omniaque incommoda tollere ſperet, quæ ex legibus optime ac ſapientiſſime conſtitutis oriri poſſunt. Quocirca contenti eſſe debetis ijs cautionibus, quas humana providentia pręſtare poteſt, quas civilis modus exigit, & quibus ipſa rerum natura nihil tutius ac ſecurius unquam invenit. Non poteſtis impedire quin quandoque bellum inſtauretur. Nec victoriæ rationem reddent adverſarij, ſi fortuna cœptis adſpiraverit. Ne vos quidem, opinor, cauſam dicturos ſi victoria ſteterit a veſtris partibus. Igitur armorum iudicio dirimetur certamen, non ex apicibus verborum quæ plerumque cedunt in dammum & ludibrium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

dibrium miſerorum atque imbecillorum, etiamſi niſi habeant ambiguiatis aut incertitudinis. Melior enim fere cauſa iudicatur quæ eſt fœlicior, quam eventus ſecundat: & victus pro nocente habetur. Nam homines ut plurimum conſilia ſucceſſu ponderant, & fortioribus ſe applicant, nec facile in caducum parietem inclinant. Multum ille providiſſe & in poſterum præſenſiſſe iudicatur, cui bene proceſſerit, cui ſecus, eum deſipuiſſe & nihil conſuluiſſe magna pars mortalium opinatur, quaſi prudentis eſſet non ſolum culpam ſed & fortunam præſtare. Adjicitur inſuper ab ijs qui inducijs averſantur tanquam infauſtas aves, & dirum mortalibus omen, Regem Hiſpaniarum dum ab armis ceſſabitur ſuppleturum ruinas ærarij, collecturum ignotam vim auri atque argenti, reparaturum novas vires, & velut reſumpturum nervos, ut quandoque bellum maioribus auſpicijs redintegrare poſſit, totaque mole copiaque invadere haſce provincias, ut vos uno ictu opprimat & ſub iugum mittat. Sed raro admodum accidit ut maximi terrarum domini, præſertim ætate adoleſcentes opibus cumulandis inhæreant. magis ingenio proclives ſunt ad luxum & magnificentiam quam ad frugalitatem & parſimoniam. Frugi enim eſſe privatæ domus laus eſt, non regiæ virtutis & majeſtatis. Nec vero ſi bella vobiſcum interquieſcāt, deerit hoſtis quicum Rex Hiſpaniarum certare poſſit. Imperat enim populo feroci, ambitioſo, quietis impatienti. Vos e contrario nihil aliud curandum habetis, quam ut veſtra tueri, non ut imperij fines propagare poſſitis, ut pacem & concordiam cum vicinis ſanctam & inviolabilem foveatis. Quumque ſoluti eritis oneribus & neceſſitatibus ſuſtentandi belli, nec alijs erogationibus obnoxij, quam quæ neceſſariæ erunt ad firmandum ſubſidiario milite civitates hoſti finitimas, refectis ſuperfluis ſumptibus, opima ſpes, fore ut non ſolum æris debiti nexu liberari queatis, verum etiam ingentem theſaurum cumulare, quem velut ſanctius aliquod ærarium ad ulti-

mos

mos caſus reſervari expediat, tum quod præteriti temporis anguſtiæ vos ita faciendum eſſe docuerunt, tum quia morem hunc habent omnes reſpub. quæ recte & ordine arbitratuque boni patrisfamilias rationes ſuas adminiſtrant. Sunt qui ſuperioribus iucommodis hoc etiam adiungunt, per occaſionem induciarum fore ut hoſtis habeat inter vos ſuas manus, ſuos adminiſtros & emiſſarios, quorum artificiis invicē committemini, ut mutuis certaminibus feſſi & exſangues facilem adverſarijs victoriam tradatis. Iam inde ſemina diſcordiarum orta eſſe inter Provincias, quibus otium & quies largam materiem ſuppeditabit, quum contra timor externus & communis ex hoſte formido, ſoleat in officio & bonis moribus continere civitates. Hæc talia poſſunt accidere, & prudentis eſt animo proſpicere eiuſmodi caſus, ut adhibeatur præparatio diligens ad eos avertendos, non autem ut prę metu ſemper in armis verſandum ſit. Atquin id vobis conſilij datur ab ijs qui ſub hoc prætextu inducias diſſuadent. Neque enim, quatenus humana mens augurari poteſt, vobis ſperandū eſt, finitū unquam iri hoc bellum, plena & omnibus modis abſoluta victoria, quum vobis res ſit cum potentiſſimo Rege totius orbis terrarum. Nec ullo tempore alio de pace vel inducijs conſultabitis, quin eorundem vitiorum & incommodorum metus ſemper occurrat. Idque magis ſi de pace conventum ſit, quam ſi de inducijs. Nam perpetua pax ſecum habet comitem altam ſecuritatem, quæ negligentiam creat, & inde patet ad inſidias, præbetque frequentiſſime cauſam calamitatis. At quum induciæ pactæ ſunt, metus quandoque recidendi in aleam Martis maximum eſt ad cavendi ſollicitudinem incitamentum, ut in commune conſidatur, ut ſtudijs & animis conſpirantibus in publicam cauſam incumbatur, poſthabitis privatæ utilitatis rationibus, quæ peſsima ſunt veri affectus venena, ſemperque offecere publicis conſilijs. Hinc eſt quod nonnulli ſapientes viri, qui ex animo vobis favent, in ea opinione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

nione verſantur ut judicent mediam illam viam inter bellum & pacem magis in rem veſtram eſſe,quam ſi ex uno extremo in aliud protinus delabendum eſſet. Omnis mutatio, ex ſcito medicorum,ſenſim & cum tractu temporis inducenda eſt ad imitationem naturæ , quæ violentum non ſinit eſse diuturnum. Adhæc plerumque fit ut meliori fide ſerventur induciæ, quam conventio perpetuæ pacis. Exemplis comprobari poteſt dicti veritas, ſi liberet oratione luxuriari in tam plauſibili argumento : ſed & ratio ipſa ſuffragatur experientiæ. Nam qui ſe pacis conditionibus circumventum eſſe arbitratur, vix alio modo ſperat ſanari poſse vulnus iniuriæ, quam ſi non maneat pactis conventis. At cui diſplicent induciæ,ſpe finis dolori ſuo moderatur, & iram concoquit in occaſionem vindictæ. Præterea ſi quis diligenter attenteque conſideret ſtatum atque ordinem veſtri regiminis, facile perſpiciet vanum eſse hunc timorem, ne ſcilicet largitionibus aut promiſſis corrumpantur qui ſedent ad clavum reip. Nam ſingulos ſeorſim aggredi periculoſum eſt, nec multum ad rem attinet in tam frequenti magiſtratuum viciſſitudine ac mutatione, qui prius poteſtate ſe abdicare coguntur, quam exorſa perducere ad exitum poſſint. Adde hoc odium naturale dominatus Hiſpanorum , & amorem patriæ libertatis penitus inſitum atque infixum pectoribus civium una cum lacte materno. Quotuſquiſque iam reliquus eſt, qui ſervitutis meminerit, niſi ex auditione & relatu? ut non magnopere ſit extimeſcendum ne quis tam prodigus animæ famæque reperiatur, qui vocem hiſcere auſit, ut libera gens iterum ſervili iugo colla ſubmittat, quin præſens periculum ſubiturus ſit, ne ſonti ſanguine temeritatis atque audaciæ pœnas expendat. Longe certius a corruptelis & clandeſtinis molitionibus diſcrimen immineret, ſi qua clades & calamitas bello accepta eſset, ut ſunt alternæ Martis viciſſitudines, & anceps ſemper fortuna præliorum. Nam vel ſemel parum proſpere commiſsa pugna plus uno momento adferret

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

confuſionis tum in publico ſtatu, tum in voluntatibus omnium ſubditorum, quam occulta multorum menſium & annorum tentamenta in ſollicitandis animis ſingulorum. Tunc enim admoto propius metu quiſque nulla reipublicæ cura ſibi privatim conſulere ſtuderet, & adverſitatum culpam in moderatores patriæ rejiceret, qui oblatã otij & trãquillitatis opportunitatem nimis inconſiderate repudiaſſent. Non eſt etiam de nihilo, nec abſque ratione quod obiectatur haud alio pacto ſecuram fore remp. per tempora induciarum, quam ſi præſidiario milite cuſtodiantur urbes hoſtili agro cõterminæ, aliaque caſtella & propugnacula prout uſus flagitare videbitur: cives autẽ & incolas unitarum Provinciarum, poſtquam aperti Martis terror & externa belli facies abſceſſerit, haud facile adduci poſſe, ut contribuere velint quæ neceſſaria erunt ad eos ſumptus ſuppeditãdos. Ita fiet ut deficiente fundo ærarij, unde militibus ſtipendia ſolvantur, mira ſecutura ſit rerũ omnium perturbatio. Sane permagni refert ut eodẽ temporis articulo, quo tractabitur de inducijs, huic quoque malo remedium adferatur, & ut numerus ac modus præfiniatur, quænam urbes & quibus præſidijs muniendæ ſint ut ſecuritati publicæ conſulatur. Obſtringendæ etiam erunt provinciæ ſacramẽto ſolenni decretoque publico, ut pro parte virili conferant in ærarium quæ ad hanc rem neceſſaria eſſe iudicabuntur, quamdiu durabunt induciæ. quod impetratu difficilius eſſet ſi perpetuum fœdus ictum foret. Nam tunc omnino poſtularetur immunitas ab omnibus tributorum neceſſitatibus. Sed urgent adhuc, & inſiſtunt vehementius. Nam ſi, inquiunt, præſidia retinenda ſunt, & militum excubijs cuſtodiendæ civitates, quid opus inducijs unde nihil commodi, nec ſublevamenti conſequatur? Imo tanti non poſſunt eſſe ſumptus, quin dimidia parte ut minimum futuri ſint minores tempore induciarum, quam ſi rurſus ad arma proſiliendũ foret. Adde quod interea tuti eritis ab ambiguis bellorum caſibus, & ſtatuemini extra teli iactum,

quibus periculis expoſiti eſſetis, ni præter proprias opes magnis externis virium virorùmque auxilijs adiuvemini, quemadmodum ex parte veſtra ſæpe nobis eſt ſignificatum: etiamſi bellum tantum propulſandum, non inferendum eſſet, quod eſt infelix auſpicium imbecillioris ſtatus, & vergentis in deterius fortunæ. Nec leve momentũ ad diſſuadendas inducias adferre cenſetur clariſſimi viri Iuſti Lipſij authoritas, cuius epiſtola bis terve excuſa volitat per omnium manus. Is ut erat naturali iudicio præditus, & inſigni doctrina excultus, nec hoſpes in rebus politicis, vehementerque deditus parti adverſæ, ad quam deſciverat, ſuadet tanquam imperij arcanum, paciſcendas eſſe inducias, quia ſtantibus ijs res utrinque manerẽt integræ, & voluntas Principum Germaniæ eo inclinaret, nec de Regis dignitate quidquam detraheretur, & fatum aut eventus aliquid adferre poſſet quod humana ratio expedire nequiret. Sed ſi recte ſententiam eius interpretemur, non venit illi in mentem conſulere de inducijs longi temporis, nec tale quidquam augurari poterat, verum loquitur de brevibus a bello ferijs, quarum beneficio homines inciperent deguſtare pacis dulcedinem, & exuere paulatim hoſtiles animos, ut tandem ad veteris imperij deſiderium reverterentur. Neque enim vir ille qui ſemper ominatus eſt novi imperij ſolem oriturum ab Occidente, & qui magnitudinem Hiſpanicam etiam Romanorum potentiæ præferendam eſſe cenſuit, unquam divinare potuit tam fœlices & fortunatos fore Ordines unitarum Provinciarum, ut potentiſſimum totius terrarum orbis monarcham eo adigerent, ne recuſaret faſces ſuos ſubmittere, ut prior eſſet in petenda pace ab ijs qui fuiſſent ipſius ſubditi, & per tot annos infeſto Marte bellum geſſiſſent. Nec potuit ullo modo præſagire, niſi divino quodam inſtinctu afflatus eſſet, fore ut duo magni Reges, quibus adeſſe poſſet & animus & facultas nocendi, fidem ſuam obſtringerent, inducias ratas & inviolabiles futuras.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Quæ cogitatio, ut veriſimile eſt, mutaſſet eius conſilium, & exempla quæ adfert tot contrarijs exémplis refelli poſſunt, ut minime viri ſagacis & experientis eſſet ſuper tam fragili fundamento judicare vel reſpondere. Veniat etiam vobis in mentem Pacificatio Gandavenſis, quæ non optima fide ſervata fuit, & tamen adeo utilis Hollandiæ Zelandiæque alijſque Ordinum Provincijs, ut per hanc occaſionem conſtituere potuerint certam reipub. formam, & diſsolvere æs alienum, atque ita tempeſtatē belli excipere, quæ in ipſos incumbere cœperat, poſtquam Flandria & Brabantia ceſserant in hoſtis poteſtatem ac ditionem. Poteſt heic in cumulum adferri exemplum Helvetiorum, ne inducias adſpernari velitis. Nam quum inſurrexiſsent adverſus dominos ſuos ob cauſam non abſimilem veſtræ, poſtquam multis adverſitatibus iactati, variaque fortuna præliati eſsent, tandem inducias pepigerunt ſub conditionibus haud ita præclaris & honeſtis, quam ſunt eæ quas vobis ſuademus. Pendentibus ijs tam ſapienter res ſuas ordinarunt, ut exinde nunquam adverſarijs cupido inceſserit eos ultra bello laceſsendi. Magno enim ſuo commodo experti ſunt inducias plerumque perpetua pace cōmutari etiam abſque pactione. Cuius rei ratio idonea adferri poteſt. Nam quum magnis Principibus oblata ſunt quæ conſervare non poterāt, ne videantur neceſſitate, aut defectu virium, vel animi imbecillitate eo redacti, malunt ſpecie induciarum tranſigere cum adverſarijs, quam ſe ultro victos confiteri, ut quod vi extortum eſt voluntate impetratum eſse videatur. Relinquitur enim hoc pacto quædam opinio in animis hominum eos aliquando patrimonium ſuum recuperaturos: quod non accideret ſi pactione pacis omne ius ſuum remitterent, nonnullo cum opprobrio vel degeneris animi, vel virium imbecillitatis. Eadem vobis, & maiora commoda ſperanda ſunt, ſi ſapienter & recto ordine res ac rationes veſtras adminiſtretis. Multa ipſis oportuna erant, quæ minime vobis deſunt. Aderat viro-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

rum indigenarum multitudo, ne foris mutuari neceſſe foret. Tuti erant natura loci, & montibus ferme inacceſſis humano veſtigio. Paupertas etiam, & agri ſolique ſterilitas eos ab incurſu vicinorum vindicabat, qui ſpe exigui momenti certa pericula ſubire nolebant. Habetis etiam a partibus veſtris patrem Oceanum, & flumina navigationibus accommoda, quibus tanquam naturæ munimento undique circumvallamini. Suppetunt navalia vobis, ſuppetit ingens claſſis, & laborioſa nautarũ cohors, mari iuxta & pugnę parata, quos hodie nominare poſſumus inter præcipuos Chriſtiani orbis bellatores. Si Principem haberetis ſupremum reip. veſtræ moderatorem & arbitrum, qui libidinem dominandi legitimam belli cauſam, & maximam gloriam in maximo imperio repoſitam eſſe putaret, nihil eſt tam arduum ac difficile, quod non auxilio talium virorum ſperari poſſet. Quod ad auxiliatores copias attinet, quibus indiget veſter ſtatus, non ignoratis unde accerſiri debeant, & habetis abunde quod ipſis perſolvatur, non egetis exterorum ſubſidio ſi ab armis reſpirare, & feriari poteſtis. Adeſt vobis benevolens animus, & amicitia magnorum Principum, qui libertatem veſtram ſartam tectam conſervari cupiunt, tum propriæ utilitatis gratia, tum amore impulſi quo vos complectuntur: nec unquam patientur ut ea vobis eripiatur ſeu per reſiſtendi impotentiam, ſeu per malam rerum veſtrarum adminiſtrationem. Idque non tantum præſtabunt pendentibus inducijs, ſed omni tempore, ut a benevolentia veſtra, ſi poſtulet uſus, eoſdem fructus percipiant, quos ab ipſis urgente neceſſitate percepiſtis. Et hæc reſponſio ſufficere debet ad refutandam tacitam objectionem quæ per ora vulgi diſpergitur. Aiunt enim non eandem fore mentem, non eaſdem vires ijs principibus, qui vos hactenus auxilio atque opibus adiuvere, poſtquam induciæ finitæ erunt. Sane Deo ſoli reſervatur ea gloria, ut certo ſtatuere poſſit de rebus futuris, nec mortalis quiſquam eſt idoneus talium obſes ac fideiuſſor, ſi tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

humanæ infirmitati fas eſt exquirere verum per coniecturas, eædem cauſæ & rationes, quæ ab initio moverunt principes ut vobis ſubſidio eſſent, hortabuntur illos ut in priſtino iuvandi propoſito conſtanter perſeverent. Nullum enim eſt vinculum firmius ad mutuam opem ferendam, quam communis utilitas. Ea ſola magis adſtringit animos, quam iuriſiurandi religio, vel fœderum conventiones, quæ plus pompæ habent, minus ſoliditatis. Veſter porro ſtatus longe meliori conditione erit impetratis inducijs quam perſtante bello, ſi delectu, conſilio & ratione fortunam veſtram recte gubernetis. Quod quidem ſperandum eſt. Nam quum tot laboribus & ærumnis parta vobis ſit inæſtimabilis illa dos aureæ libertatis, eadem cura & ſollicitudo vos excitabit ut tam pretioſum depoſitum fideliter conſervetis. Nec præſumi debet vos mutuis contentionibus ac diſcordijs in varias factiones diſtractum iri, ut alter in alterius perniciem infanda conſilia moliamini. Nam plerique veſtrum ſub auſpicio libertatis inſtaurandæ nati, manus a contactu oculos ab adſpectu ſervientium inviolabiles habetis. Quocirca omnibus probe ſubductis rationibus plane in rem veſtram, & ex uſu communi erunt induciæ, quas repudiare non debetis ob futiles libellos, qui peſſimo more & pernicioſo exemplo projiciuntur in vulgus. Veſtri fori eſt, veſtræ iuriſdictionis de ſumma reip. conſultare, & ſententias pronuntiare, a quibus fata fortunæque populi pendeant. Nutu & arbitratu veſtro mentes civium gubernantur. In hoc conſeſſu de bello de pace fiunt comitia. Quidquid alibi geritur non alio ſpectat, quam ad conturbandam plebem ut exuat reverentiam debitam ſancto magiſtratui. Quinetiam percrebuit rumor, & multos habet ſuffragatores, mentionem induciarum fuiſſe injectam per artem & aſtutiam adverſariorum, ut vos in naſſam illicerent. quum tamen vobis minime dubium eſſe debeat,
quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

quin a dominis noſtris id conſilij datum ſit , qui voluntate & affectu bene merendi de veſtro ſtatu nemini cedunt, & ea ſapientia prudentiaque excellunt ut difficulter admodum decipi poſſint. Neque tamen ſequius opinamur de ijs qui ſeorſim ſentiunt. Tot enim tantiſque pignoribus ac meritis devinxerunt fidem ſuam reipub. ut piaculum ſit in dubium vocare ipſorum virtutem, conſtantiam atque integritatem. Sæpe autem accidit, ut viri boni & probati cives ſententijs diſſideant, qui tamen votis & ſtudijs conſpirant in eundem finem , ſuaſque curas & cogitationes dirigunt ad patriæ ſalutem, ad publicam utilitatem. Tales opinione labi poſſunt, commune id vitium eſt humanæ fragilitatis: voluntate a reipublicæ commodis diſſidere nullo modo poſſunt. Eos obnixe rogamus & obteſtamur, ut itidem benigne de nobis ſentiant, neu præiudicatas opiniones domo adferāt, ſed aſſenſu & affectu propendeant in eam partem, qua publica ſalus & utilitas præponderabit. Vobis hic animus eſſe debet, ut examinatis utrinq; rationibus id decreto veſtro confirmetis, quod maxime ex uſu eſſe videbitur. Plura quam diximus pro veſtra prudentia ſupplere poteritis, quæ tacitæ cuiuſq; cogitationi relinquere malumus, quam ſigillatim cōmemorando percenſere. Finem orationi imponemus, ſi prius hoc inculcatum fuerit, nimirum inducias quidem coniunctas eſse cum periculis non nullis atque incōmodis (nihil enim eſt in hac mortalitate ab omni parte beatū) ſed quæ una re vitari poſsunt, ſi ſapienter & recto ordine actiones veſtras inſtituatis. At quę ex bello diſcrimina metuuntur, certa ſunt, pręſentia, & prorſus inevitabilia. Vis & facultas averruncādæ cladis armorū, nō eſt in veſtra manu. Victoria cœlo delabitur, & ab exercituū Deo donatur. Non in equis nō in curribus cōſiſtit, ſed in favore Numinis, qui plerumq; adſpirat cauſę meliori. Neceſſitas lege omni potētior, & legitima capitis famæ ac libertatis defenſio fecit auſpiciū belli, & quaſi ſalutare ſignū ſuſtulit ad bene de fortuna ſperandū.

Veſtræ

Veſtræ res a parvis ortæ principijs in tantam magnitudinem ac potentiam evectæ ſunt, ut adverſarij ſponte fateantur veſtram cauſam legitimo juſtitiæ fundamento ſubnixam eſſe. Cedunt, reſignant, largiuntur vobis omnia ſua jura, quum ſe vobiſcum agere teſtantur, tanquam cum liberis civibus, non amplius dominio ſuo ſubjectis. Quid optare poteſtis ulterius? Quem prætextum adferetis hoc ingenti munere conceſſo cur iterum ad arma rapienda confugiatis? An ſupplices & obnoxios vobis eſſe poſtulatis ſummos terrarum principes, veſtros olim dominos, ut fronte prona ſubmiſſiſque faſcibus pacem ac veniam orent? Amplexamini quæſo ambabus ulnis oblatam divinitus emergendi e malis ac miſerijs occaſionem, qua nulla pulchrior & commodior unquam affulgebit. Archiduces toto pectore, totis animis propendent ad quietē, ad otium, ad tranquillitatem, abhorrent immane quantum a crudelitate, a cædibus, & humani ſanguinis effuſione: nemo id in dubium vocat, notus eſt omnibus clemens & manſuetus eorum genius. Adhæc ſancte & religioſe fidem obſervant, nec ulli ſe pactioni obſtringent quam non rebus & factis ſint impleturi. Rex Hiſpaniarum precibus eorum evictus atque expugnatus plura vobis indulget, quam ſua ſponte facturus eſſet. Alio enim eum trahit reſpectus maieſtatis, cupiditas vindictæ flagrantior cæteris affectibus in pectore magnatum, authoritas conſiliariorum, ingentes Hiſpanorum animi. Cuncta denique contra tendunt, niſi natura ſua & Archiducum rogatu propenſus eſſet ad mitiora conſilia. Reges & Principes omnia ſua ſtudia & officia ſpondent quæ tali rerum ſtatu deſiderari poſſunt. Cuncta ſecuritatis præſidia vos circumſtant, ut facto non deliberato ſit opus. Dies & mora poſſet adferre tantam commutationem, ut quæ nunc ultro quaſi cœlo delapſa ſeſe fruenda vobis offerunt, vix olim obſtantibus contingere poſſe videantur. Nolumus male ominari, ſed ſi ſe huic occaſioni tempus ſubterduxerit, verendum eſt ne atrati forſitan aliquando

pacem

pacem oretis,quam a candidatis proceribus accipere hoc tempore gravamini. Pridie Idus Martias Legati Regum obtulerunt Ordinibus ſcripto compræhenſam narrationem rerum, de quibus eſt diſceptatum in conventu Antverpiæ habito cum Regis Hiſpaniarum & Archiducum Legatis ſuper negotio longi temporis induciarum. Eius ſcripti hęc erat ſumma. Poſtquam in urbem venimus,ut primum colloquẽdi poteſtas data eſt, nihil nobis prius aut antiquius fuit,quam ut apud omnes pro certo & indubitato conſtaret,vobis prorſus eſſe in animo tunc temporis finem inducijs paciſcendis, & ſupremam manum imponere,aut omnem earum cogitationem abijcere,& oblivione ſempiterna delere. Quod ſi nova rurſus effugia, novæque morandi cauſæ necterentur, haud immerito Regibus noſtris,omnibuſque vobis inceſſuram ſuſpicionem, quæ iampridem multorũ mentes obſederat, nimirum hoc unum agi, ut ſedendo conſultandoque tempus eximatur, atque interea rerum agendarum occaſiones præterfluant magno cum veſtro diſpendio, & æterno cum irriſu ac ludibrio Principum qui bona fide ſinceroq; affectu ſe huic actioni interpoſuerunt, ut ad optatam otij & tranquillitatis ſtationem hæ Provinciæ ſecunda velificatione provehi poſſint. Id ut penitus fixum atque immotum ſederet, & ut omnis dubitatio funditus tolleretur, ſignificavimus non admodum ægre poſt longas ac multiplices conſultationes magnis altercationibus agitatas tandem a vobis impetraſſe ut pactis atque conventis,quorum formulam ipſi conceperamus, acquieſcere ne gravaremini, neu quidquam in ijs mutaſſe velletis, ſaltem quod amplius deliberandi ſcrupulum, aut cavillandi materiem adferre poſſet. Exhibitum nobis fuiſſe a parte veſtra quid ſuper ea re ſtatutum eſſet conſilio non amplius movendo, nec revocando, voſque viciſſim petijſſe a nobis ut adverſarij decretoriam mẽtis ſuæ ſententiam ſimpliciter indicarent, teſtatoſque eſſe vos nullo modo, ne quidem ad punctum temporis prorogari velle

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ceſſationem ab armis, nec exceſſuros e finibus Hollandiæ ut Bergopſomium proficiſcamini, nedum Legatos eſſe miſſuros qui porro cum ipſis in congreſsum & colloquium veniant, niſi prius & ante omnia deſiderio veſtro ſatisfaciant, & in eandem vobiſcum ſententiam concedant. Quæ denuntiatio non mediocriter mentes eorum conturbavit, reſponſumque eſt tale poſtulatum admodum incivile videri, & nimis pro imperio dictatoriam legem imponi magnis Principibus, eoſque in arctum cogi anguſtijs temporis, quominus tanta de re tam præcipitãtur certi aliquid ſtatui poſſet. Hæc culmgerebantur IV Idus Februarij quum XV Kal. Martias dictus eſset inducijs finiendis dies. Tam exiguo autem interſtitio temporis fieri non poterat ut exquireretur voluntas Archiducũ, & mutua communicatione ſi quis dignus vindice nodus incidiſſet conſopiretur, quod tamen ad cauſæ deciſionem facto erat opus. Igitur omnino tempus induciarum prorogari oportere. Quod urgente neceſſitate, iuſtiſque victi rationibus indulgendum eſse exiſtimavimus, ſaltem ad extremum uſque volvendi mẽſis Februarij diem, ſub hac denuntiatione ut declararemus, ni intra diem VI Kal. Mart. exhibuiſsẽt ſententiam Archiducum congruentẽ cum formula a nobis concepta nos poſtridie eſſe diſceſsuros, nec ipſis idoneam fore cauſam quamobrem queri debeant ſibi legem imperioſa quadam authoritate præſcribi, quum exigitur ut formulam a vobis approbatam ſubſcriptione ſua firment: quandoquidem non vos iſti rei fuiſsetis authores, ſed nos tanquam arbitri & ſequeſtres conſilio ſecum cõmunicato priuſquam Haga-Comitis excederẽt, omnibus probe ſubductis & expenſis, quæ in uſum communẽ & ex utriuſq; partis cõmodo fore iudicabamus. Nihil aliud reſponſi priore & altero colloquio retulimus, niſi quod perlectis articulis, quorum ipſis exemplũ edidimus, teſtati ſunt caput illud de contributionibus continuandis admodum iniquum, aſperum & inhumanum videri, nec unquã ab Archiducibus con-

ceſſum iri, ut miſeri ruricolæ, qui maleficia & injurias belli vel patienter tolerare, vel acerbis indictionibus redimere coacti eſsent, nullum ex intermiſſione belli fructum, aut miſeriarum levamentum perciperent, ſed ijſdem quibus antè neceſſitatibus atque oneribus afflictarentur. Ad ea minime defuit quod contrà regereremus. Enimvero fieri aliter non poſſe quin ſaltem per aliquot annos eædem penſiones adhuc permanerēt, progreſsu temporis ſequuturum moderamen, ſed ut penitus tollantur, opus eſse longinqua trãquillioris ſtatus uſura, multipliciq; rerum abundantia, quæ exhauſtū ærarium ſupplere, & æri alieno publice contracto mederi poſset. Non minus inde commodum ad Archiduces, quã ad vos redundaturū, nec agreſtes, & colonos iniquo laturos animo, ſi ex mutuo partium conventu mediocrē aliquam ſummam exſolvēdo pacifice ipſis ruſtico operi incumbere, & annuos terrę proventus ſine ullo metu hoſtilitatiscolligere permittatur. Non enim poſſe nudari præſidijs conterminas urbes abſq; manifeſto diſcrimine, nec militē haberi ſine ſtipendijs, nec ſtipēdia ſine tributis. His rationibus ut acquieſcerent nequaquã adduci potuere, magnaque contentione certatum eſt ab adverſarijs ut contributiones funditus abolerentur, uti hoc pacto quaſi ſignum aliquod ſublatū eſse videretur ad bene de pace ſperandū. Nec alia materies tunc temporis agitata fuit, niſi quod Præſes Richardotus recepit ſe continuo iturum ad aulam Archiducū, ut, quid ſuper ea re ſtatuendum eſſe videretur, ex ijs coqnoſceret: nec ullam amplius morã interiectū iri, quoniam de voluntate Regis Hiſpaniarum ſatis ſuperq; conſtaret, nihil opus eſſe pręſentia patris Ney, cuius tamen adventus de die in diem exſpectaretur. Culpam tot morarū & fruſtrationū non penes ipſos reſidere, ſed penes vos qui duriſſimas& probroſas conditiones poſtulando videremini cauſam aut colorem quæſiviſſe totam negotiationē intervertendi. Se non abfuturum ultra triduū, & noviſſimã voluntates ac certiſſima mãdata reportaturū a ſuis

principibus ſine ulla circuitione aut ambiguitate: quibus rebus cognitis fore noſtræ ſpontis, & optionis quid porro facien dũ eſſe arbitraremur. Promiſſi fidem factis implevit, poſtridieque in viam ſe dedit, ac reverſus eſt intra condictum diem. Inſequenti mane quum conventus haberetur, repetijt quod antè iecerat de decreto & ſententia Regis Hiſpaniarum, nempe cuncta permiſſa eſſe poteſtati & arbitrio Archiducum. Deinde ſumpſit in manus formulam induciarum, eamque legere cœptus eſt, quumque ad eam ſcripti partem perveniſſet ubi de iure libertatis agitur, quaſi ſacro quodam inſtinctu ſpirituque afflatus interiecit querimoniam, ac multo cum dolore teſtatus eſt quam acerbum, quam grave & moleſtum Regi Hiſpaniarum accidiſſet, quod in eum articulum conſenſerit. Datum id precibus, & flagrantibus deſiderijs chariſſimæ Sororis & Archiducis, fremente nobilitate, præter omnium ſpem & exſpectationem, contraq; maximæ partis conſiliariorum ſententiam, quod eiuſmodi largitio de faſtigio Majeſtatis plurimum derogaret. Huc recidiſſe vim Hiſpanæ dominationis, formidoloſam cæteris nationibus, ut cum manipulo civium, qui olim dicto audientes erant, & nihil præter obſequij gloriam captabant, Rex Regum maximus æquum fœdus ferire non indignaretur. Inde vehementer incubuit, omneſque ingenij & eloquentiæ nervos intendit, ut contributiones tollerentur, nihilque reliqui fecit ad vim & efficaciam perſuadendi. Nos item omnia propoſuimus, quæ in contrariam partem adferri poterant, nec tamen paſſi ſunt ſe in ſententiam noſtrã perduci. Hinc alia difficultas exorta eſt ſuper libertate navigationis Indiarum. Referebat enim Præſes Regem Hiſpaniarum impulſum ijs rationibus, quas in medium adduxeramus priuſquam ipſi Hagha diſcederent, ut amice potius bonaque cum pace amborum res ea tranſigeretur, quam ut armata manu per hoſtilitatem quidquam attentaretur, unde pacto induciarum fraus fieret; & veterum iniuriarum atq; inimitiarum memoria

Idib. Febr. CIↃ IↃ C IX.

memoria renovaretur. Sed quum enucleatius, ac diſtinctius articulum iſtum expenderet, ſubiecit ſatis eſſe debere ſi induciæ generatim & in univerſum pactæ conventęque eſſent abſque certa deſignatione locorum, quemadmodum ipſi formulam concepiſſemus. Quod vero ad libertatem navigationis attinet, eam nominatim eſſe reſtringendam intra fines Hiſpaniarum, eaſque Regiones, quibus in Italia Rex dominatur: non autem extendi oportere ad eos terrarum tractus, portus, ſinus, quos alibi locorum poſſidet, nedum ad Indiarum populos, ac regiones. Quæ porro mundi partes Regis Hiſpaniarum ditione non tenentur, in ijs ius & fas erit, ſi vobis volentibus ſit ultro citroque commeare commercarique, nec hoſtile quidquam fore metuendum. Cuius rei nomine ut cautum ſit, idem Præſes conceptam a ſe formulam Regiæ permiſſionis exhibuit, ad eum modum quem communiter expedire arbitrabatur. Reſponſum eſt a nobis quum utrinque placeat inducias nullis locorum ſpatijs ac limitibus circumſcribi, ſed ubique per maria & terras vim atque ſtabilitatem ſuam obtinere, ut in univerſum ab hoſtilitate ceſſetur, iuſtum etiam & rationi conſentaneum videri, ut commercia in omnibus locis ſint libera, nec ullas orbis terrarum oras excipi debere, qua longe lateque Regis Hiſpaniarum potentia dominatioq; protenderetur. Ad iſta continuo ſubiecerunt veſtros nautas nunquã merces cõmutaſſe, nec ultro appuliſſe curſumque direxiſſe ad eos portus, quos in Indiarum regionibus Hiſpani tenent nec in tractatu pacis id eſſe a vobis poſtulatum, ſatis ſuperq; de ſuo iure largiri Regem, quod vim nullam aut impeditionem ſeſe obiecturum conſentit, quominus exerceatis commercia cum ijs regulis, ac populis, qui eam vobis libertatem permittent, id quod Regibus Galliarum & Magnæ Britanniæ in fœderis conventione denegatum fuit, quorum ſubditi non alio iure quam ſuo periculo ſuſcipiunt eiuſcemodi navigationes. Excepimus vobis longe optabilius eſſe talem conditionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

ſubire, & in hoſtica vi armorum iura patris Oceani vindicare potius quam ut libertatem expoſitam viris fortibus intra certos fines ac terminos coarctari cupiatis. Non diſſimularunt longe diverſam eſſe cauſam veſtram a cæteris. Neque enim multum incommodi aut periculi impendêre ab ijs, qui furtim uno aut altero myoparone fortunam maris experiuntur, quam vos munitiſſimis omni inſtructu apparatuq; claſſibus longinquas iſtas navigationes inſtituere ſoleatis. Vnde graviſſima damna ſæpius invecta ſint, & adhuc in poſterum graviora metuantur. Satis ex his verbis ſignificatio nonnullius timoris indicabatur: ad quæ ſubiecimus non eſſe æquum liberam navigandi facultatem ab Europa intra fines Hiſpaniarum atque Italiæ cohiberi, ſed generatim & in univerſum concedi oportere per totam Europam ad fretum Gaditanum, ad oras Barbariæ circa mare mediterraneum, perque omnem ius circuitum, atque etiam ad inſulas quæ Fortunatæ appellantur, quandoquidem fœderatorum ac ſociorum Regum Principumque ſubditi pacifice in ijs locis negotiantur. His ultro citroque deliberatis ille dies conſumptus eſt. Proximo cōventu quum exhibitam a Præſide Richardoto formulam accurate ac diligenter examinaſſemus, non ſatis viſa eſt ſecuritati veſtræ cavere, quocirca nos ipſis aliud ſcriptum obtulimus, atque iterum, aliud, quod utrumque noluerunt approbrare, quoniam ibi diſertis verbis fiebat mentio navigationum Indiarum. Aiebant autē Regem quidē Hiſpaniarum libertatē illam indulgere velle, ſed nomē exprimi nolle, ne cæteri Reges ac Principes, cum quibus fœdere & amicitia iunctus eſt, & quorum voluntati libens obſecundaret, inde occaſionē arriperent idem poſtulandi, & ob repulſam offenderentur. Addebant hoc pacto minus probroſam, & indecoram fore conceſſionem Regi ſuo, ſi ſpecie diſſimulantis toleretur, & in genere ſic permittatur libera navigatio ut tamen Indiarum vocabulum, tanquā infauſtum atq; ominoſum nomē, ſilentio prætereatur. Affirmabāt etiam

alias intercedere rationes, quamobrē Rex intereſſe maieſtatis ſuæ iudicaret hoc modo procedere, quas indicari non eſſet neceſſe, quum ijs nihil de libertate & utilitate veſtra delibaretur. Iniurioſam, incivilem, & inverecundam rem eſſe id flagitare quod tibi non proſit & alteri noceat. Vobis ſufficere debere ſi tuto & ſecure navigetis ad extermos Garamantas & Indos, etiamſi nominatim eæ gentes non exprimantur. Aiunt enim Iuris-conſulti nihil intereſſe utrum res aliqua ſuo nomine deſignetur, an ea demonſtratione, quæ vice nominis fungitur. Non acrius inſtandum eſſe venerandis Regum dignitatibus, aliquid reſidui honoris ſceptris & coronis relinquēdum. Tali cōſultatione duo colloquia protractaſunt, nec aliud quid quā in diſceptationē deductum fuit. Vt hæc difficultas enodaretur optimum factu exiſtimavimus aliam verborū formulam ſcripto complecti, qua ſatis aperte cōmercium Indiarum per circumlocutionē innueretur etiamſi nomen expreſſim non eſſet adjectum, ſed eum articulū tractatui induciarū inſeri oportere ut rei geſtæ certior ſit fides & ſecuritas, non autē eo nomine conventionem aliquam ſegregatim eſſe inſtituendam. Idque privato officio conſuluimus, non tanquam authoritate veſtra inſtructi, nec præſtare voluimus vos rem ratam eſſe habituros. Subiunximus attexendum eſſe alium articulum, quo tempore placeret induciarum diem currere in ijs regionibus, quæ ſunt extra limites deſignatos. Nam talis demonſtratio, quæ vice nominis fungitur, ſatis evidenter denotabat id quod aperte dici nolebant, nec aliter poterat intelligi ea circumſcriptio temporis quam de navigationibus Indiarum. Vterque articulus difficiles habuit inſultus priuſquam impetrari poſſet. Priorem enim multis ſui partibus mutilare & interpolare ſtuduerunt. Alterum prorſus rejiciebant, hoc argumento quod ſi poſt conventas inducias extra limites priore deſignatos articulo damnum ac detrimentum aliquod inveheretur, neceſſe eſſet utrimque pati quod in integrum

reſtitui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

reſtitui non poſſet, ut ſunt cædes hominum, & navium amiſſiones, aliæque iacturæ quæ nulla compenſatione reparari queunt. At vero damna reſarciri oporteret earum rerum quæ adhuc exſtarent. Sed neutrum ipſis largiri voluimus, nec ut quidquam in priore articulo immutaretur, nec ut poſterior aboleretur. Imo ſcrupulum injecimus quaſi vobis minime grata & rata futura eſſet circuitio verborum, quam coacti eſsemus e re nata cōminiſci ut eorum ſcrupuloſæ voluntati mos gereretur. Nec inanem, aut pro nihilo putandam eſſe veſtram hanc circa vocabulorum apices ſollicitam cautionem ac diligentiam. Nam qui viribus imbecilliores ſunt, non iniuria exigunt ut ita perſpicue ac dilucide pactorum conventorum leges conſcribantur, ne quis ambiguitati aut incertitudini locus relinquatur, calumniæ-ve materies detur, quam ſiniſtra interpretatione potentior in rem ſuam detorqueat contra germanum ſenſum & intellectum ſcripturæ. Quum omnia caveris quæ ab humana ſagacitate provideri poſsunt, tamen vix erit quin capiaris & in inſidias fraudeſque delabaris. Hæc & ſimilia magnis animorum motibus decertata ſunt, quæ quum exitum nullum haberent, nec deliberando quidquam certi definitique eliceretur, placuit Audientiarium Verreyken ad Archiduces mitti ſcitatum eorum ſententiam, qui re infecta reverſus eſt quarto poſtquam profectus erat die. Iam ad præſtitutum tempus ventum erat, qua die denuntiaveramus nos eſse confeſtim abituros, niſi quid interea decretorio iudicio ſtatutum eſset, quum obnixe rogare cœpit Præſes Richardotus, ut in unicum biduum profectionem differre ne gravaremur, ſe intra id ſpatij perquiſiturum mentem ac voluntatē Archiducum. Quod ægre tandem conceſſimus. Verebamur enim ne talis dilatio de compoſito quæſita eſse videretur ad circumducendum tempus, & ad poſtulandam ulteriorem induciarum prorogationem, quā nullo modo ſperare eos oporteret. Reverſus ſignificat Archiduces conſentire in priorem

V. Kal. Mart. CIↃ IↃ C IX.

pere

articulum, ſed reſectis & circumciſis quibuſdam quæ magnopere conatus eſt oſtendere nihil aut admodum parum ad rem attinere, nec in eo cardine verſari commodum ullum aut periculum unitarum Provinciarum. Nos in contrariam partem ſtrenue pugnavimus, nec paſſi ſumus quidquam immutari detrahi-ve de ſolennibus. Quæ moroſitas, ut ipſi interpretabantur, adverſarijs bilem movit, nec offenſionem diſſimulavit Præſes. Quandoquidem, inquit, nec Archiducum deſiderio, nec facilitati & indulgentiæ Regis eum honorem deferre dignamini, ut ab obſtinatæ mentis propoſito recedere velitis, nolumus brachia dirigere contra torrentem, nec rationibus niti ad expugnandum inflexibilem rigorem, cui nihil aliud videmus eſſe propoſitum præter dedecus & contumeliam ſupremarum poteſtatum. Non enim id quæritur ut libertas commerciorum in tuto ſit, cui ſatis ſuperque proſpicitur ea formula, quam licet maieſtate inferiorem ſervari tamen non vetamus, ſed hoc agitur ut ex ipſa verborum duritie & incivilitate appareat offenſiones animi cauſa captari, quaſi magis pręclarum & honorificum ſit conditiones extorquere ab invitis quam a volentibus impetrare. Tandem igitur aſſenſi ſunt ut prior articulus partis induciarum adtexeretur: de altero vehementer contenderunt, nec niſi paulo ante noſtrum diſceſſum adducti ſunt ut eum ſubſcriptione ſua, & authoritate confirmarent. Exinde mentio injecta eſt de commercijs intra ipſos fines Belgarum, multæque rationes in medium productæ ſunt ut oſtenderetur nec iuri gentium, nec inſtitutis majorum, nec communis patriæ genio conſentaneum eſſe, ut Zelandis tam gravia vectigalia ſolverentur, quæ turbidis temporibus neceſſitas excuſaret lege omni, & ratione potentior, ſed eadem etiam continuata ſunt poſtquam eſt a bello ceſſatum. Nam ſua tantum intereſſe ut aboleantur eiuſmodi extraordinariæ indictiones, ſed publicam vicinorum cauſam & utilittatem in eo verti. Quod ſi Zelandi pertenderent contu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

maciter in propoſito, nec adduci vellent ulla ſuada, ulliſque ſumma æquitate nixis rationibus ut bona cum pace & gratia tam acerbæ exactiones antiquarentur, nequaquã defuturum finitimis populis animum aut conſilium, quo talis pervicacia maiore damno pretioq; eorum compeſceretur. Quum alieno tempore talia proponi nobis viderentur, & iudicaremus oportuniorem fore occaſionem de his rebus agendi ubi de negotio induciarum conventũ eſſet: negarunt id tempus eſſe exſpectandum, tanquam nimis ſerum & inutile futurum, ſiquidem omnia libera & integra relinquebantur Ordinum arbitrio ac poteſtati, nec ideo minus ratæ manebant induciæ ſi de tributis & penſitationibus iſtis nihil eſſet acciſum aut immutatum. Tamen paſſi ſunt ſibi perſuaderi ſi de cæteris tranſactum foret, haud abeſſe ſpem quin ex utriuſque partis commodo & emolumento ſtatui poſſit quod æquius ac melius eſſe videretur. Quod ad induciarum tempora definienda pertinet, ſemper authores fuimus ut ad XII annos producerentur, illi ex adverſo eas decennali ſpatio includi cupiebant, ſed ita pugnare viſi ſunt tanquã qui ſe vinci non ægre admodũ laturi eſſent, nec ob eam rem deſerent vadimoniũ, aut in mora erunt quominus induciæ procedant, ſicuti ex eorum ſermone haud dubie perſpeximus. Hæc ſumma eſt eorum quę inter nos ultro citroq; geſta ſunt, de quibus univerſis & ſingulis Reges noſtros certiores fecimus, ut eorum iudicium, ſententiam ac voluntatem cognoſceremus, remque omnem ad conceſſum veſtrum referremus. Curarunt nobis ſignificandum ſe vehementer admirari, nec unquam animo præcepiſſe tantam fore in Hiſpaniarum Rege facilitatem, ut crederent eum, qui alia omnia præ ſe tuliſſet, & paſſim edixiſſet, conceſſurum libertatem negotiandi navigandique ad Indias eo more & modo quem ſcripto complexi ſumus. Nec opinabantur Archiduces, quorum civibus, ſubditis, & incolis plurimum incommodi adferebant vectigalia, quæ pro mercibus importandis & aſpor-

aſportandis apud vos exiguntur, ſubituros eas cōditiones quas formula noſtra præſcribebat. Quum autem contrarium appareat ex actis, quæ ſcripta, conventa, & ſubſignata ſunt, res omnis, ut eorum fert opinio, iam in eo loco ſita eſt, ut magno veſtro fructu & commodo poſſitis huic lento negotio finem exoptatum imponere. Idque eo impenſius, quod articulus de libertate commerciorum & navigationum ad Indos, cuius exemplum inſpexerunt, tam planis verbis ac perſpicuis conſcriptus eſt, ut non niſi calumnioſa detortaque admodum interpretatione poſſit in odium aut incommodū veſtrū converti, præſertim ſi cum priore articulo poſterior conjungatur, qui prorſus omnē cavillandi materiem præcidit. Ibi enim cavetur, en in ijs locis, qui ſunt extra Europam, ac limites præcedente articulo cōpræhenſos, Induciarum tempora cedant niſi poſt annum elapſum a die conventionis, ut pendente tali ſpatio certiores fiāt qui iſthic verſantur ne quid hoſtilitatis admittāt, Quæ verba non aliorſum poſſunt trahi ſine evidēti calumnia, quam ad oras terrarum longiſſime diſſitas, hoc eſt ad regiones Indiarum. Itaque maxima vi certatum eſt priuſquam adverſarij in hoſce duos articulos conſentire in animum induxerint, ſicuti iam antè demonſtravimus. Tamen ut omni ex parte ſecuritati veſtræ cautum atque conſultum ſit, & ne qua læva ſuſpicio reſideat in mente cuiuſquam veſtrum, Reges nobis in mandatis dederunt ut ipſorum fidem & authoritatem obligemus, ſe perinde factum accepturos, quaſi induciæ ruptæ violatæque eſſent, ſi qua vis aut impeditio fiat quominus libere ad Indiarum portus ac regiones commeare negotiarique poſſitis, vobiſque opes & auxilia ſubminiſtrabunt, non ſecus atq; ſi in omnibus reliquis capitibus ſervatæ non eſſent. Quæ quum ita ſint hortamur vos, & obſecramus noſtro noſtrorumque dominorum nomine, ne circa vocabulorum apices, & ſententiarum captiones diutius immorari perſeveretis, quibus tricis non aliud proficitur quam ut agendi tempus inutili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

contatione dilabatur, & occaſiones rebus capeſſendis oportunæ præterfluant. Nihil æque veſtris utilitatibus adverſatur, quam lentæ iſtæ deliberationes, ex quibus oriuntur varij ſenſus animorum, diverſitates opinionũ, ſiniſtræ ſuſpiciones, ſemina diffidentiæ, quæ tandem in apertam factionem erumpere poſſent, niſi unum idemque ſentire vobis in animo eſt, voſque patriæ dignitas, & reip. ſalus in concordiam reducat. Satis iam ſatis ſuffragijs & ſententijs invicem velitati eſtis. Non amplius conſulto, ſed mature facto opus eſt. Incumbite communi conſpirantiq; voto ac ſtudio in eam curam, ut omnibus æquis atque iniquis palàm fiat vos non voluntatum divortio a publica cauſa, ſed diſsimilitudine & varietate opinionum, ut fieri ſolet inter conjunctiſsimos cives, diſſediſſe. Fortes viri non poſſunt ſibi imperare quin pro ſuo quiſque captu fidenter in medium proferat ea quæ factu optima, & utiliſsima videntur, ſed moderatæ, prudentes, & pacificæ mentes debent haud gravatim acquieſcere plurium conſenſui atque authoritati. Nunquam tot ſimul auguria concurrent ad rempub. bene fœliciterque gerendam, ad honorificam conventionem ineundam, ad firmandas imperij vires, ad libertatis jura recte conſtabilienda. Sereniſsimi Archiduces, quod nemo in dubium vocat, pacem ex animo cupiunt totis ſenſibus ad pacem adſpirant, naturâ prorſus abhorrent a crudelitate, a cædibus, ab humani ſanguinis effuſione, Rex Hiſpaniarum ingenio ſuo proclivis ad manſuetudinẽ & clementiam, pænè Maieſtatis obliviſcitur ut eorum precibus & flagrantibus votis tractabilẽ ſe ac morigerũ præbeat, quamvis genius gentis, & cõſilia interioris aulæ mentẽ eius in diverſas partes trahãt. Duo maximi Reges fœdere & amicitia vobiſcũ iunctiſsimi, quos adverſarij omnibus artificijs a ſocietate veſtra ſegregare ac divellere ſtuduerunt, firmi conſtanteſq, in priſtino erga vos affectu nihilo ſegnius permanſerunt, mutuis animis concordique aſſenſu cauſam veſtrã foverunt, ita ut amborum conſilia paribus auſpicijs unaq;

mente

mente gubernari viderentur, nec aliud ipſis propoſitum fuit præter conſervationem veſtri ſtatus. Talis animorum cōſenſus concentuſque perſuaſit ijs principibus, qui vobiſcum contrahunt, ut ad quædam conniverent, multaque coacti temporibus indulgerēt quæ alioqui nullo pacto conceſſuri erant. In tali cardine & inclinatione rerum rapienda eſt occaſio, cuius velocitas ſæpe puncto temporis e manibus dilabitur, nec ſegnitiem noſtram exſpectat. Ideoque capillatam frontem habere perhibetur, occiput verò calvum. Si prætervecta fuerit hæc divinitus oblata rerum bene gerendarum commoditas oportunitaſque, nequidquam poſtea votis eam ac precibus ſollicite deſiderabitis. Minimo momento maximæ poſſunt emergere mutationes, & caſuum viciſsitudines, tum in fortunæ volubilitate atque inconſtantia, tum in hominum voluntatibus atque ſententijs, ut vix ac ne vix quidem fieri queant ea quæ anteà facillimos explicatus habere videbantur. In tempore venire rerum omnium eſt primum. Hoc ſapientiæ, & virtutis opus, imo & fœlicitatis. Fatalis enim quædam vis maior humanis conſilijs occœcat mentes mortalium, quum aliqua calamitas eorum cervicibus impendet. Nullo pretio ſatis æſtimari poteſt utile, honeſtum, fidele & ſalutare conſilium, quod in occaſionis articulo neglectū ſeram pœnitentiam, & ſæpe peſtem ac perniciem ſecum trahit. In rebus arduis, in ijs quæ ſummā reip. continent, non licet bis peccare. Si Samnites alterutram ſollertiſſimi ſenis Herennij ſententiam ſecuti eſſent, ut Romanorum exercitum ad Furculas Caudinas inter duos ſaltus clauſum aut occidione deleviſſent, aut omnes inde ſoſpites atque inviolatos dimiſiſſent, hoc pacto vel ingenti beneficio potentiſsimam gentem ſibi conciliaſſent, aut in multas ætates bellum eſſet dilatum. Sed mens illis læva fuit, cuius imprudentiæ culpam graviſsimis deinceps calamitatibus expiaverunt. Si Annibal Maharbalis monitis auſcultaſſet, & a Cannenſi pugna protinus exercitum mœnibus Romanę urbis admoviſset,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

actum erat de imperio, &, quantum homini fas eſt augurari, victor Annibal die quinti in Capitolio epulari potuiſſet. Si Annoni recte ſuadenti paruiſſent Carthaginenſes, & arripuiſſent tempus, quo magis dare pacem quam accipere poterant, excidium urbis avertiſſent. Sed animi rebus ſecundis inſolentes, & velut ebrij dulci fortuna non advertunt quod optimum factu ſit, aut facere nolunt. Quintilius Varus cum legionibus & auxilijs non eſſet ad internecionem redactus, ſi præſagia venturæ calamitatis, & indicia fideliſſimorum hominum non contempſiſſet. Sed interdum fata prævalent conſilijs, & (ut præclare ab antiquo * Scriptore memoriæ proditum eſt) fulmine tangendorum mentes hebetantur. Ne pluribus exemplis recenſendis immoremur, quæ ex annalium monumentis prope innumerabilia depromi poſſunt, ſcitote nulla re genus humanum propinquius ad naturæ divinæ ſimilitudinem accedere, quam recte conſulendo, & ut ſapientiſſimus eſt is cui, quod opus ſit, ipſi ſua ſponte veniat in mentem, ſic in ſecundo gradu conſiſtit qui alterius bene inventis obtemperare non recuſat. Quo indulgentiorem fortunam eſtis experti, quo florentior & beatior eſt veſter Status, eo magis modeſtiæ ac moderationi litare vos oportet, nec fidere nimium præſentibus bonis, quæ mobilis horæ momento permutare dominos, & in altera jura tranſire conſueverunt. Fluxæ, & caducæ ſunt ſortes ac viciſſitudines humanarum rerum, nec quidquam in terris magis ſtabile eſt ac diuturnum, quam cui ſubeſt iuſtitię fundamentum. His auſpicijs res veſtræ ab exili principio ad eam magnitudinem ac potentiam evectæ ſunt, ut non tam acceſsio vobis quærenda, quam fortunæ commutatio metuenda ſit, quæ nunquam eodem veſtigio conſiſtit. Ideo fœliciter bellum geſsiſtis, quia iuſtum erat: iuſtum autem quia neceſſarium. Neque enim ulla alia legitima cauſa eſt contra Principem arma ſumendi. Deum pro meliore cauſa ſtantem propitium habuiſtis. Verendum eſſet ne iratum experiamini, ſi commo-

* *Ammiano Marcellino.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

commodas, utiles & honorificas ſequeſtræ pacis conditiones adſpernati fueritis. Non enim aliud a vobis hoc diuturno & lamentabili bello quæſitum eſt, aut quæri debuit, quam ut in pace viveretis ſub umbra ſecuræ libertatis, ſub dulci jugo ſanctarum legum, quibus qui volens ſervitis vere liber eſt, & ſupra regum tiaras exſurgit. Omnium rerum optandarum fructus ad invidiam vobis cumulate ſurpetit. Opes abundant, gloriam immortalem bellica virtute conſecuti eſtis, nomen veſtrum longe lateque per populos illuſtri fama propagatur, ſecundo Marte libertatē aſſeruiſtis, tales ipſe hoſtis vos agnoſcit, nec amplius ullam ſtatus controverſiam movet, certa manſuræ pacis ſpes ab auſpicio induciarum oſtentatur. Nihil fœlicitati veſtræ deeſt quam ut ſeria æſtimatione magnam fortunam perpendatis, & utamini reverenter ac moderate donis ingentibus, quæ divinitus vobis obtigerunt. Hæc oratio *XI. Kal.*
nixa viribus immotæ veritatis, & rationibus ac ſententijs haud *April.*
dubiæ certitudinis, tantum potuit ad impellendos labantes *cIɔ Iɔ*
c lx.
animos, ut Ordinum comitia Bergopſomij (oppidum eſt in Brabantia) congregarentur, ubi ex conſilij ſententia decretum eſt ut Xviri crearentur inſtructi mandatis, & ampliſsima poteſtate conveniendi de longi temporis inducijs, prout ex commodo reip. fore iudicarent. Locus colloquio deſtinatus fuit Antverpiæ, flos & ocellus urbium Belgicarū. Adfuere ibidem delegati Archiducum una cum patre Ney, qui paulo ante ex Hiſpanijs erat reverſus, & ſecum attulerat a Rege literas, quæ non parum adiumenti attulerunt ut induciarum Tractatus ad exoptatum, & fœlicem eventum proveheretur. Convenerunt aliquoties in curiam, quam civitatis domum vulgo appellant, atque ibi conſilijs inter utramque partem collatis, & communicatis, quæ fideli ſilentio, tanquam ſa- *V Eid.*
crum arcanæ Cereris, aut Magnæ matris, occultabantur, tan- *April cIɔ*
dem ex communi conſenſu pactæ ſunt induciæ duodecim an- *Iɔ c lx.*
norum ſub conditionibus quas heic intexendas curavimus.

I. Primum

I.

PRimum Sereniſſimi Archiduces tam ſuo, quam Regis Hiſpaniarum nomine declarant ſe paratos eſſe cum Ordinibus unitarum Provinciarum agere,tanquam cum libero populo ſuis legibus, moribus atque inſtitutis utente, in quem nihil iuris prætendunt,quemadmodum nunc præſentem induciarum contractum cum ijs inierunt ſub pactis & conditionibus quæ deinceps ſubjiciuntur.

II.

Vt per XII proxime ſequentes annos,firmæ,fidæ & inviolabiles ſint ac ſerventur induciæ,quibus labentibus ſuperſedebitur ab omni actu hoſtilitatis terra marique fluminibuſq; inter ſubditos ,incolas & advenas Regis Hiſpaniarum Archiducumque,& Ordinum confœderatorum ſine ulla exceptione locorum perſonarum-ve.

III.

Vtraque pars placide pacificeque retineto ſalvam & incolumem poſſeſſionem regionum, urbium, locorum, terrarum & dominiorum, quæ nunc detinet, abſque ulla iniuria & moleſtia. Quod & locum obtinebit in pagis,vicis, ac territorijs quæ inde dependent.

IV.

Subditi,& inquilini utriuſque partis tam Regis & Archiducum,quam fœderatorum Ordinum , invicem colunto mutuam benevolentiam,& amicitiam : nec fas iuſque eſto præteriti temporis damna vel offenſiones ulciſci aut exprobrare, ſuntoque libera utrinque negotiandi commercia per terras, per maria, per flumina. Quod tamen Rex Hiſpaniarum cupit reſtringi ad regiones,terras ac provincias quas poſſidet in Europa : vel ad alia regna, dominiaque,quo Regum aut Principum amicorum ſubditi negotiandi cauſa commeare ſolent. Ab ijs vero locis, urbibus, portubus atque inſulis, quæ extra fines prædictos ſub ejuſdem Regis imperio ſitæ ſunt, Ordines

eorum-

eorumque ſubditi abſtinento, neque eo commerciorum cauſa proficiſcuntor niſi impetrato Regis conſenſu commeatuque. Quod vero attinet ad loca, quæ alijs Regibus, Proceribus aut populis ſubiecta ſunt, etiã extra limites Europæos, liceto Ordinibus eorumque ſubditis ijs in locis ac regionibus commercari ac negotiari, dum id fiat permittentibus locorum dominis, nec ullam moram aut impedimentum objiciet Rex eiuſve adminiſtri, vicarij aut officiarij, quominus domini locorũ eam libertatem ſuo arbitratu concedant, nec ipſis Ordinum ſubditis negotium aut moleſtiam faceſſet, quominus eo jure commeandi commercandique libere utantur.

V.

Et quoniam longi temporis tractu opus eſt priuſquam certiores fieri poſsint qui extra fines Europæ cum inſtructu & navibus commercia exercent, ut ab omni hoſtilitate deſiſtant, placuit ex communi ſententia initium induciarum fore demum intra annum ab hodierno die ſupputandum. Tamen ſi citius perveniat ad eos notitia pactorum conventorum, recte & ordine, atque ex bonæ fidei præſcripto facient ſi ab eo tempore ſeſe ab omni actu hoſtili contineant. Quod ſi poſt iſtud ſpatium ulla hoſtilitas admiſſa fuerit, damnum & iniuria continuo & ſine tergiverſatione reparabitur.

VI.

Subditi & incolæ regionum tam Regis Archiducumque, quam Ordinum confœderatorum ultro citroque negotiantes ne gravioribus tributis, portorijs ac vectigalibus onerantur, quam ipſi earum regionum, ubi illa ſolvuntur, ſubiecti, amici & fœderati, qui minimis oneribus adſtringuntur.

VII.

Subditi & incolæ dominorum Ordinum eadem ſecuritate ac libertate fruuntor in locis ac dominijs Regi, & Archiducũ imperio ſubiectis, quæ conceſſa ſunt ſubditis Regis Magnæ-Britanniæ in tractatu pacis nuper cum ipſo conventæ, ſecundum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

cundum arcanos articulos qui cum Comeſtabili Caſtiliæ pacti fuere.

VIII.

Non eſto fas ſiſtere, aut manum injicere in mercatores, magiſtros navium, exercitores, nautas, nec in eorum naves, pe pecunias, merces, bona, quocunq; prætextu id fiat, ſive ex cauſa generalis aut ſpecialis mandati, ſive per occaſionē belli, ſive quæſito colore conſervandi defendendique fines. Nec tamen una ibidē comprehenduntor, ſi quæ manus iniectiones factæ ſunt per legitimos Iuſtitiæ tramites ob debiti æris nexum, & obligationes rite cōtractas, quæ obtinebunt ſuum vigorem, & in ijs ſervabuntur ſolennes viæ ac formulæ iudiciorum.

IX.

Et quod ad commercia attinet quæ in Belgicis regionibus frequentabuntur, ſi ex iuſtis querelis apparebit quædam vectigalia, propter belli erogationes & neceſſitates introducta modum excedere, ut inde mutua negotiatio plurimum capiat detrimenti, propoſitis ab alterutra parte rationibus gravaminum, delegabuntur continuo Iudices, qui ſuper ea re cognoſcant, & ex communis conſilij ſententia, quoad eius fieri poteſt, omnia ad moderationem debitam reducentur, neque tamen, ſi id obtineri non poſſit, ideo violatas eſſe inducias exiſtimari debebit.

X.

Si quæ ſententiæ iudiciaque reddita fuerint in contrariarum partium ſequutores, tanquam in contumaces, quorum defenſionem nemo ſuſcepit, tam in civili quam criminali cauſa, non poterunt pendentibus inducijs mandari executioni, nec adverſus perſonas. nec adverſus bona condemnatorum.

XI.

Literæ pignorationis aut repræſaliarum non obtinebuntur pendente eo tempore, niſi ex dextro cauſa cognita, quibus caſibus id per leges & conſtitutiones Cæſari iuris concedi ſolet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

XII.

Fas iuſque ne eſto appellendi ad portus, plagas, promontoria alterutrius partis cum tali numero navium, aut armatorū, ut juſti timoris ſuſpicio generari poſſit vim parari, niſi ex permiſſu eius, ſub cuius ditione loca illa ſita ſunt, aut niſi tempeſtatibus aliaque neceſsitate delati illuc fuerint, ad majorem vim, aut naufragij periculum effugiendum.

XIII.

Hi horum ve heredes; aut ſucceſſores vel mandatarij, quorum bona belli, vel partium odio per manus injectionem capta, aut fiſco addicta fuerint, durantibus inducijs, ac privatæ authoritatis arbitrio, non implorato legum ac magiſtratuum auxilio vindicanto a quibuſcunq; poſſeſſoribus. eiſque utuntor fruuntor vi & vigore præſentis tractatus, etiam ſi in fiſci ius & naturam tranſierint, aut per oppignorationes, donationes, pacta conventa, tranſactiones, aut quaſcunque renūtiationum clauſulas alienata fuerint ad excludendos eos quibus iure cōpetunt. Ita tamen ut de ijs non ſit libera diſponendi poteſtas, alienandive aut oppignorandi, niſi impetrata venia ab Archiducibus vel Ordinibus.

XIV.

Quod & locum obtineto in heredibus Principis Arauſionenſis ex cauſa iuris quod ipſis competit in Salinas Burgundici Comitatus, quarum uſusfructus ipſis reſtituitor cum ſilvis & ſaltibus inde dependentibus. Et quod ad litem Caſtellobelini attinet iam vivo Principe intentatam in ſupremo Senatu curiæ Machlinienſis contra fiſci procuratorem Regis Catholici, promittunt & ſpondent Archiduces ſe bona fide daturos operam, omnique ſtudio ac diligentia curaturos, ut ſententia rite feratur intra anni ſpatium ex quo lis conteſtata fuerit ſine ulla longinquiori mora vel comperendinatione.

XV.

Si a fiſco diſtracta fuerint utrinque bona, contenti eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

debebunt ij ad quos ea jure & ex vi pręſentis tractatus pertinebunt, uſuris ſex nummorum cum quadrante in ſingulos centum conſtitutis, quæ fideliter ſolventur a poſſeſſoribus dictorum bonorum pendentibus inducijs, ſi autem illi in mora fuerint, tunc proprietarijs e fundo prædiorum, & ex capite ac ſorte ſatisfiet.

XVI.

Sed ſi eiuſmodi bonorum diſtractio in iudicio facta fuerit ſervatis ſolennibus ob expungenda nomina iuſta & legitima eorum ad quos ea bona pertinebant antequam fiſco addicerentur, licebit ipſis aut eorum heredibus vel ſucceſſoribus ea redimere ſolvendo pretium intra anni ſpatium numerandũ a die præſentis tractatus, poſt quod tempus non amplius competet talis facultas. De redemptis vero ſtatuere ac diſponere pro ſuo arbitratu poterunt ſine impetratione commeatus, aut ullius indulti.

XVII.

Huiuſmodi tamen redemptio ſeu redhibitio non extenditor ad ædes ſive domos, quæ in urbibus atq; oppidis ſitæ ſunt, ſi quæ ex ea cauſa venditæ diſtractæque fuerint, propter maxima incommoda ac detrimenta quæ inde poſſent oriri contra poſſeſſores talium locorum, qui inſtaurandis ijs aut reficiendis ingentes ſumptus impendiſſe potuerunt, quorum ratio futura eſſet & ſpatio longinqua, & factu minime expedita.

XVIII.

Quod vero ad refectiones & meliorationes attinet in alijs bonis divenditis, quorum retractus ſeu redhibitio vi præſentis tractatus permittitur, ſi quis eo jure ſe munitum putat, idonei & competentes judices in rem præſentem venient, & cognita cauſa decretum interponent, manebuntque prædia de quibus cõtroverſia eſt, hypothecæ nomine obligata pro dictis meliorationibus, ita tamen ut emptoribus non ſit fas iure retentionis uti quo illis ſolvatur aut ſatisfiat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

XIX.

Si quæ propugnacula, vel opera publica fuerint utrinq; exædificata permiſſu & authoritate ſupremi Magiſtratus in ijs locjs, quę ſecundũ formulam huius conventionis reſtitui debent, proprietarij contenti eſſe debebunt pretio & æſtimatione facta per eos qui iuriſdictioni præſunt, niſi ex mutuo conſenſu partes inter ſe conveniant.

XX.

Quod ad Eccleſiaſtica bona, Collegia, Cœnobia, & id generis pia loca attinet, quæ ſita in Provincijs unitis, ſpectantque ad Eccleſias, beneficia & collegia ditioni Archiducum ſubiecta, quæ non vænierunt ante Kalendas Ianuarias anni CIↃ IↃ C VII. redduntor, & reſtituuntor, idque privata authoritate ſine miniſterio apparitoris aut ordine iudiciorum, ut ijs utantur fruantur quamdiu durabunt induciæ, non tamẽ ut habeãt alienandi minuendi-ve facultatem, quemadmodum antea dictum eſt, Quæ vero ante dictum diem vendita erunt, aut ab Ordinibus quarundam provinciarum in ſolutum data, reditus annui ex ea cauſa ſolventur, redactis uſuris ad decimum ſextũ quemque nummum, a provincia quæ huiuſmodi bona vendiderit. Siremps lex, jus, cauſa eſto ex parte Archiducum.

XXI.

Quibus confiſcata bona reſtituenda ſunt non tenentur ſolvere reditus retrolapſos, onera & officia prædijs aut heredijs annexa pro eo tempore quo talia jura non perceperunt, ac ſi quid moleſtiæ ipſis utrinque hoc nomine exhibeatur, abſolvuntor, indemneſque dimittuntor.

XXII.

Siremps lex eſto ſi quæ bona diſtracta conceſſave fuerint ſub conditione meliorationis refectioniſ-ve, nec alia jura vel onera vindicantor, quam quibus ſe devinxerunt poſſeſſores ex lege venditionis aut conceſsionis, cum uſuris nummorum in anteceſſum datorum redactis ad eum modum quem ſupra diximus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

XXIII.

Res judicatæ, judiciaque ob cauſam confiſcatorum bonorum pronuntiata contra eos qui ſubjecti fuerunt juriſdictioni, aut ultro conceſſerunt in judicem, quique recte & ordine defenſi ſunt, rata, firma & immota ſunto, nec alio pacto reſcinduntor quam per uſitatas iuris vias.

XXIIII.

Sereniſſimi Archiduces, & fœderati Ordines delegato magiſtratus, & adminiſtros aptos atque idoneos, qui iura iudiciaque reddant, ordinemque conſtituant ijs in locis, oppidis & caſtellis, quæ proprietarijs reſtitui debent utenda fruenda durante tempore induciarum.

XXIV.

Mobilia bona fiſco adiudicata, & fructus, quorum dies ante hunc contractum initum ceſſit, ne repoſcuntor, neu reſtitutioni obnoxia ſunto.

XXVI.

Rerum mobilium actiones quæ ab Archiducibus & Ordinibus ante Kalendas Ianuar. CIↃ IↃ CVII. remiſſæ fuerunt in gratiam & commodum privatorũ utrinque ne reviviſcunto, ſed extinctæ manento.

XXVII.

Tempora quæ ab exordio Belgicorum motuum, hoc eſt ab anno CIↃ IↃ LXVII. ad hanc uſque diem præterfluxere, ne numerantor aut imputantor ad inducendam præſcriptionem aut uſucapionẽ inter eos qui a diverſis partibus ſtetere.

XXVIII.

Qui durante bello conceſſere in regiones neutrarum partium, huius quoque conventionis fructu ac beneficio potiuntor, ijſque liberum ac licitum eſto ſedem deligere, quibus in locis placuerit, aut ad antiquum domicilium reverti, ut ibi habitent ſecurè pacificeque, dum tamen ſecundum leges, mores atque inſtituta cujuſque regionis vitam inſtituant, nec ob

cauſam

cauſam delecti pro arbitrio domicilij bona eorum conveniri poterunt, aut ipſi excidere dominio rerum ſuarum.

XXIX.

Nulla nova caſtella vel propugnacula pendentibus inducijs ab ambobus populis in omni Belgio exſtruuntor.

XXX.

Proceres ex familia domoque Naſſovica durantibus inducijs nec quoad bona, nec quoad perſonas conveniuntor, aut inquietantor vel ob debita ab Arauſionenſi Principe ab an. CIↃ IC LXVII. uſque ad obitum ipſius contracta, vel ob reditus non ſolutos ex quo bona fuerunt annotata & ijs regia manus injecta.

XXXI.

Si quid adverſus hanc conventionem fraude vel temeritate privatorum ſine publico conſilio Regis Archiducumque, vel Ordinum admiſſum fuerit, damnum ibidem reſarciunto ubi noxa facta fuerit, ſi tamē iniuriæ vel maleficij authores ibi deprehendantur: vel in loco domicilij, nec alibi liceto adverſus corū corpora ſeu bona litē aut actionē intentare. Nec ob eam rem ad arma veniendum erit, aut violandæ induciæ, ſed ſi iuſtitiæ aſylum intercludatur, ad uſitata remedia literarum pignorationi, ſeu repræſaliarum procedere ius faſque eſto.

XXXII.

Omnes exheredationes, & diſpoſitiones partium aut belli odio factæ, nullius momenti ſunto, ruptæque & irritæ manēto perinde ac ſi nunquam factę eſſent.

XXXIII.

Subditi & incolæ tam ſub Archiducū, quam ſub Ordinum imperio, cujuſcunq; ſtatus aut conditionis ſint, apti & idonei ſunto ad ſuccedendum invicem ſive ex teſtamento, ſive lege ab inteſtato iuxta mores, & ſtatuta locorū: ac ſi qua forte hereditas, vel bonorū poſſeſsio ante hoc tempus cuipiam obvenisſet, ius cuique ſalvum & inviolatum permaneto.

XXXIV. Omnes

XXXIV.

Omnes utrinque bello capti ſine redemtionis pretio liberi dimittuntor. XXXV.

Et ut hic tractatus induciarum melius atq; exactius obſervetur, tam regia Maieſtas & Archiduces, quam Ordines pro ſe quiſque promittunt ac ſpondent, ſe omnem curam atque diligentiam adhibituros, ut itinera, maria, flumina ſint libera tutaq; ab incurſionibus & graſſaturis turbidorum hominũ, prædonum, piratarum, latronum, adverſus quos, ſi deprehendi queant, ſeveriter animadvertetur.

XXXVI.

Iidem pollicentur inſuper ſe nihil cõtra præſentem tractatum, aut in fraudem ac præjudicium eſſe facturos, aut ab alijs fieri paſſuros directe vel indirecte: ſi quid ſecus admiſſum fuerit, id ſine ulla cunctatione aut moleſtia reparatum iri. Cuius rei ut certior ſit fides & authoritas, Rex & Archiduces ſe & ſucceſſores ſuos eo nomine obligavere omnibuſque legibus, moribus ac ſtatutis huic contractui repugnantibus atque contrarijs renuntiavere.

XXXVII,

Præſens hic tractatus ab ijſdem, nimirũ a Rege Hiſpaniarum Archiducibuſque, itemque ab Ordinibus confirmator & approbator: literæq; ratihabitionis in debita ſolenniq; forma expediuntor intra quatriduum ab Archiducibus atq; Ordinibus, & ab una parte alteri traduntor. Quod autem ad Regiam Majeſtatẽ attinet, Archiduces fidem ſuã devinxere intra trimeſtre ſpatium ratihabitionẽ debito itidem more rituq; conceptam ab Hiſpano Rege adfuturã, quæ & Ordinibus tradatur, ut ipſi & eorum ſubditi placide ac pacifice beneficio conventionis huius frui poſſint. XXXVIII.

Contractus hic omnibus locis, ubi de more ſolet, & expedire videbitur, ſtatim poſt ratihabitionem utrinque datam & acceptam, publice proclamator, & promulgator, jamq; nunc decretum & conſtitutum eſto ut ab omni hoſtilitate abſiſtatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

HÆ ſunt conditiones quibus pactæ fuerunt induciæ cum fœderatis Ordinibus poſt bella per annos XL continenter geſta cum maximo regnatore terrarum, qui latius imperitat, quam unqam Romanæ potentiæ Majeſtas ſeſe propagavit. Si qua cura tangit manes beatos earum rerum, quæ in hoc infimæ telluris globo a mortalibus geruntur, credibile eſt ſummo perfundi gaudio mentem Herois Gulielmi, qui Princeps libertatis Belgarum fundamenta iecit, ſed in medio curſu, tanquam Palinurus clavo inhærens, ab infando percuſſore trucidatus eſt, ut ipſa mors argumento ſit eum non aliter vinci potuiſſe, quam fraudibus & inſidijs. Hic cumulus defuit ad ſummam eius fœlicitatem, quod ne quidem ſpe ac votis concipere potuit tantum rerum proſperarum concurſum, ut manipulus hominum, qui ditionibus atque imperijs Hiſpanæ magnitudinis comparati vix puncti inſtar obtinent, eo redigeret potentiſſimum orbis Monarcham, ne cum civibus olim juri ſuo ſubiectis æquo fœdere pacem atque amicitiam jungere dedignaretur. Hoc ingens beneficium Deo imputandum eſt, in cuius manu ſunt corda Regum. Is eſt qui juſta arma favore cœleſti admirabiliter ſecundavit, uſus opera, virtute, prudentia & vigilantia Illuſtriſſimorum Ordinum, nec non heroica fortitudine Principis Mauricij, quo nemo vivit hodie bellicis laudibus maior, ac fortunatior. Decet cum reverentia & humili gratiarum actione amplecti tanta cœli dona, nec tamen ita indormiendum eſt præſentibus bonis, ut adverſæ fortunę præſidia conſumantur. Libertas ſane, præcipua dos humanæ conditionis, nec purpura nec auro reparari poteſt: cæterum difficulter conſervatur niſi modeſta mens, & caducæ fortis intelligens animus clavum temperet ac moderetur. Gloria, dignitas, opes, imperium optime & ſecuriſſime ijſdẽ artibus retinentur, quibus initio parta ſunt. Concordiâ & conſtantiâ perſeverandi in ſancto pioque propoſito libertatem & religionem in ſolido locavit Ordinum fortitudo, & publica

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

fœlicitas. Ipſi adverſarij ſua confeſſione, ſuoq; ſuffragio cauſam unitarum Provinciarum comprobavere. De Archiducibus, uon eſt, ut opinor, dubitandum quin ex animo pacem cupiant, nec facile cuiquam impellentur, ut iterum ad arma reverti velint. Natura eorum ad otium & quietem aurigatur. Orbitas, & vix nulla ſpes generandæ prolis efficit ut nihil optandum habeant, niſi ut aſſignatum heredium placide ac ſine metu vicinorum poſſidere liceat, magiſque laborant finium regundorum cauſa, quam propagandorum. De Rege Hiſpanorum etiam omnia boni augurij ſigna videntur eo inclinare, ut non abhorreat a placidioribus conſilijs. Si al ud mentem eius a turbidis cogitationibus avocaret, habet undecim annorum experientiam, qua magiſtra poteſt erudiri ne rudis agminum & certaminum laceſſat aſperum tactu leonem Batavicum. Videt nihil actum omnibus tantorum operum impenſis, tot virorum fortium funeribus, niſi ut fieret nulli populo, qui concordiam & bonas artes colat, tam eſſe degenerem animum, tam debiles & afflictas vires, quin vitam & patriam libertatē defendere queant cives ad ingenuitatē nati qui ſervitutē letho pejus oderunt, & pro bona cauſa mortem oppetere pulcherrimū eſſe augurium arbitrātur. Non eſt opus ut a Privernatibus, aut a veteribus hiſtorijs exempla ſumātur, domi habemus unde diſciplinā iſtam haurire poſſimus. Nulli teſtes citari poſſunt locupletiores ad faciendam fidē nihil eſſe impervium pectoribus generoſis, & magnanimis, quam bellū Belgicum geſtum ſub auſpicijs Ordinum confœderatorum, quod nunc per duodecennales inducias interquieſcens quaſi ſignum quoddam ſuſtulit ad exſpectandam fidam, ſecuram & ſempiternā pacem. Quæ quidem tanquam cœli filia, & bonorum omnium diſpenſatrix ardentibus votis expetēda eſt, orandusque pacis ſequeſter Deus, ut hoc incomparabile donum, cuius nunc uſura certis temporū metis circumſcripta eſt, proprium tandem, ac perpetuum evadat.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3

651

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 M 3